















8

XV
RECT.

DE LAPIDIS RENVM, AC VESICÆ AFFECTVS CVRATIONE.

LIVONIO RECTORIO
Physico Senensi
Auctore.



FLORENTIÆ,

Ex Typographia Francisci Honuphrij, MDCLXVI.
Superiorum permissu.

DE LAPIDIS RENVM, AC VESICÆ AFFECTVS CVRATIONE.

LIVONIO RECTORIO
Physico Senensi
Auctore.





FLORENTIÆ,
Ex Typographia Francisci Honuphrij. MDCLXVI.
Superiorum permissu.



ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. FABIO DE CORNEA

SENARVM GVBERNATORI AMPLISS.

Patrono suo Colendissimo.

LIVONIVS RECTORIVS
Physicus Senensis S. P. D.



Latonem prolixius Antisthenem differentem, eleganter monuisse legimus, nam videris, inquit, ignorare; orationis modum non esse eum qui audit; sic & Carneadem admonitum fuisse à Gymnasij principe accepimus, qui dicendi modum ab auditoribus tandem sumendum esse, appositè docuit: His ego eruditus exemplis (Illustrissime atque Reuerendissime Præsul, de lapidis renum, ac vesicæ affectu noscendo, & curando, ad te quam breuissimè scribere decreui: Cum enim me non prætereat grauissimis sanè te fuisse antehac semper detentum negocijs, atq; in dies grauioribus occupatum iri perspiciam, cui ob ingenij, prudentiæ, ac probitatis præstantiam, SENARVM imperium, MAGNVS ETRVRIÆ DVX SERENISSIMVS administraudum demandauit; cumq; in eius functione muneris, & nostrates, & aduenæ te Ducem, Rectorem, Moderatorem, sed sanum desiderent, ac summis votis exposcant; ideo mecum ipse constitui ea remedia exquire-

re, ac peruestigare, que ad malam valetudinem tuam penitus profligandam idonea præcipuè esse posse intellexi Eximiæ præterea animi tui dotes, natalium splendor, præclarissimaq; tua gesta mouerunt, vt hoc scribendi negocium libenter assumerem: At id potissimum impulit, vt aliquo officij genere testatum apud te relinquerem, me sanè maximè cupere summis tuis meritis singularibusq; virtutibus, beneuolentia, & eo studio quo potero inseruire, & quicquid per me vnquam præstari poterit, id omne amplitudini tuæ, & sanitatis studio consecratum putes, & licet exiguum sit hoc munus, cum tamen à medico tibi deuotissimo proficiscatur, à te, quæ tua est benignitas (relucere enim vbiq; solet) non omninò sperni, imò æstimatione tua magnum effici, præciosumq; reddi arbitrabor: Vale, atq; interim, dum vrbem nostram reparare, atq; instaurare moliris, id quod omnes expectant atq; expetunt, valetudinis tuæ ne obliuiscaris. Datum Senis die postrema Augusti MDLXXXXIII.

SAN-

LECTORI

A. C. S. P.



Tsi statueram doctissimas Excell. Iacobi Miccioni notas ad hunc librum expectare; nihilominus cum viderem eum in praxi medica domesticisque prælectionibus adeo occupatum, vt nihil certi de illis mihi polliceri possem, operis editione ob eas non retardata publicæ vtilitati consulendum putaui; idque vel eo maxime quod typographum nactus sim; quem scio illas seorsim editurum, ne exempla priora vilescant; vt multos facere vidimus sibi solum, & lucro prospicientes, ea vero quæ aliena sunt negligentes: nec me fallet coniectura siquidem hoc non semel prestitit in edendis scilicet Adiunctionibus ad Progymnasmata Vdeni Nisieli; & additionibus ad Senenses Decisiones Illustriss. Senat. Christophori Martij Medices Serenissimi M.D. nostri Auditoris, non tam purpura, quam Iurisprudentia Clarissimi binus autem actus, vt glossographi nostri loquuntur inducat consuetudinem. Accipe igitur opus & si quid labor iste tibi promereri videatur, precare Deum, vt non solum à nephriticis quos, eheu expertus sum, sed salutari compendio ab omnibus me liberet morbis. Et vale.

INDEX CAPITVM OMNIVM QVÆ IN OPERE CONTINENTVR.

De



SANCTISSIMO, ET BEATISS. P.

D. ALEXANDRO SEPTIMO

P. O. M.

AVGVSTINVS COLTELLINVS.
F. P.



MO publicam vtilitatem B. P. & in ea ſemper mea deſudauit induſtria; præcipuè vero in erigenda domi Vniuerſitate, quæ cunctos complectens, vt in eiuſdem phrenoſchemate expreſſi, longe, ac latè pateret.

Oltre i confini ancor del mondo noſtro.

Ea de cauſa bibliotaphos odi, qui publico vſui videntnr inuidere codices meliores, inter quos, poſt ſacros pręcipuam ſedem obtinent medici humanę vitæ noxia, auerruncantes. Ne me igitùr doctorem eadem culpa turpitèr redarguat; hunc qui elapſis annis ad manus meas peruenit, pluribus ſuadentibus, publicę commoditatis facere decreui, ac Sanctiſ-

ſimo nomini tuo dicare ; non tam quia vetuſtiſſima B. T. patria ingenioſorum doctorumq; mater, & altrix eiuſdem libri ediderit auctorem, verum etiam quod admirabilem periculoſi experimenti operam, orbe plaudente, feliciter ſis expertus, ipſi per tot annos proficuam profuturamq; diutius Te ſoſpite : nec Te terreant B. P. errantia magniſque inuiſa phænomena; quia maximus : ſi quid enim in eis maleficum fuerit auertet Deus, quia optimus, & populo ſuo neceſſarius, vt in eius commodum pia mente concepta opere exequaris : meq; Sanctiſſimos pedes tuos humiliter oſculantem, Academiamque meam ſummo patrocinio commendantem, ad multos annos protegas, & valeas.

Flor. 3. Maij MDCLXVI.

A D

AD ILLVSTRISSIMVM

D. AVGVSTINVM COLTELLINVM I. C.
Et Academiæ Florentinæ tertiò Consulem,
post Artem Salutis à se editam,
opus de renum ac vesicæ calculo
typis mandantem.

EPIGRAMMA.

Perlegat ille tuos auidus, relegatque libellos
Qui studet ingenij pignora nosse tui:
An, iuuat æquarum responsa euoluere Legum?
Fatidicam credat sic cecinisse Themin,
Carmina delectant Vatum dignissima cantu
Et lusit blandis quę tua Musa iocis?
Post cineres quę rara solent accedere laudis
Prçmia, fama tibi detulit ante rogum:
Magnaque facundæ debetur Gloria linguæ
Cui datur arcanis flectere corda modis.
Nec satis esse putas per te quoque docta Virorum
Nomina, Lethæas non patiuntur aquas
Et quę sacra diu monumenta fuere tenebris
Obsita, tu donas luce SALVTIS amans.
Qui cruciant animum sunt hæc medicamina morbis
Ægris corporibus fers quoque sanus opem
Iam tibi felices meritis pro talibus annos
Optataque frui posse Salute precor.

Angelus Donius.

DEL

DEL

SIGNOR CARLO DATI

TRAVAGLIATO DA DOLORI NEFRITICI.

PARLA ALLE RENELLE.

Sirti del piccol Mondo, e crude arene
Del procelloso Mar, che nome ha vita,
Per cui pur troppo chiaro, ahime, s'addita
Oue alla naue mia romper conuiene.

Perche nel misurarmi ore serene
Fate in puro cristal rapida gita,
E siete così lente alla partita
Vagando a tormentarmi entro le vene.

Ah giusto è ben, che siate all'Onde eguali,
E ch'abbia di quest'occhi il flutto amaro
Arene fecondissime di mali.

Ma da voi pure ad esser polue imparo,
E mi souuien d'auer membra mortali
Se materia al sepolcro in lor preparo.

LE-



DE LAPIDIS RENVM, ET VESICÆ CVRATIONE.

LIVONIO RECTORIO PHYSICO SENEN. Auctore.

PROHEMIVM.



VONIAM vitæ nostræ plurimam ferè partem circa dolorem absumimus, quis cum sit prima affectio sensus, & intellectus, vt censuit Arist. lib. Ethicorum, iure meritò a Platone in Cratilo definiebatur, per corporis dissolutionem, atq; corruptionem, & ab Hipp. lib. 2. Aphor. Dolorem, esse laborem non ab re docebatur. Cicero ver. 2. Tusculan. Asperum motum corporis sensibus alienum esse fatebatur, & Arist. lib. 2. de Anima tex. 57. Passionem quandam sensum in proprio organo corrumpentem esse asserebat, Galenus tandem cum dixerit fieri dolorem ab improportionato sensibili violenti: Hinc fit quòd cum inter cætera animalia, Homo precipue doloribns ingen-

 tibus

tibus sit obnoxius, de doloris curatione, & ablatione debet esse maxime sollicitus: Et cum inter eius species nulla penè reperiatur quæ cruciatus maiores, symptomata sæuiora, corpori nostro inferre possit, & sensum tactus maxime lædere, quam lapidis affectus, & inter omnium morborum genera nullum fere inueniatur magis refractarium, & contumax, Renum ac Vesicæ calculo (vix enim cedere potest medicamentis, tum ob longitudinem vasorum, tum ob duram substantiam) idcirco de lapide tanquam causa potissima, dolorem efficiente, & de re ad speculandum pulcherrima, pertractare constitui, & quæ sint eius causæ: Deinde quid sit, methodo docere, mox quomodo generetur, & in quibus nostri corporis partibus fiat perscrutari: Postremo ad eiusdem ablationem, & præseruationis modum explicandum descendemus. Quæ omnia adeo breuiter perstringere decreui, vt subtilibus quibusdam quæstionibus, & elegantibus, limitatisq; orationibus omissis, ea tantum peragam, quæ negotio nostro, & vtilitati præcipue facessere magis intelligam.



DE

DE CAVSA MATERIALI LAPIDIS *in genere. Cap. I.*

Via tunc ſcimus, cum cauſas cognoſcimus; ideo cauſas perſcrutari oportet,& cum vniuerſales magis, minus vniuerſales, & particulares præcedant, iure de cauſis lapidis in genere, mox de ijs,quæ in homine particulariter accidunt pertractabimus. Quatuor cauſarum genera ab Ariſtotele conſtituuntur pro cuiuſq; rei Phyſicæ ſpeculatione, quæ a Galeno quoq; admittuntur in hoc lapidis negocio, nec non ab Agricola, a Falloppio, alijſq; Doctiſſimis Viris: Materialis videlicet, Efficiens, Inſtrumentalis, & Finalis, quibus omnibus perſpectis commodius, & facilius ipſum quod quid eſt venari poterimus, ſed quoniam lapidum genera ſunt varia, & differentiæ multę propterea non poteſt propria materia aſſignari, ſed vnicuiq; generi propria materia competere videtur. Et cum quinq; ſint lapidum genera,quinq; etiam erunt materiæ diuerſę.

Primum lapidum genus eſt quod factitium nuncupatur, vt ſunt lateres & lutum, quod ex terra, & aqueo humore conſtant, habente aliquem lentorem ac viſciditatem, (aliàs abirent in puluerem) ſed magis ex terra gignuntur, vt maior fiat reſiſtentia.

Secundum genus lapidum eſt id, quod conſtat ex aliqua ſubſtantia, quæ prius lapis non erat, & caſu fit, vt lapides, qui ex ligno iam putrefacto fiunt, & qui ex cochleis, ex ſeminibuſque, vt lithoſpermon, ſeu lilium ſolis, atq; ſimilia, quæ ſemina nec vniuntur, nec emol-

lescunt, nec cliquantur, cuius materia appellatur a modernis quibusdam succus lapideus, & ab Arist. humor, qui duplex est, purus, hoc est clarus, limpidus, qui siccescens in lapidem concrescit, & gemmeus dicitur, & iste purus forsitan est ille qui ab Aristotele vocatur exhalatio sicca: Impurus hoc est commixtus cum alijs humoribus, & succis magis terrestribus.

Tertium genus est eorum, qui oriuntur ex plantis, vt est corallus niger, albus, & rubeus, & licet planctę sint, lapidescunt tamen, cuius generis materia est succus contentus in cauernis profundis maris, qui attractus a plancta ob quandam similitudinem, & antipathiam (quod patet, cum ibi etiam varia genera Musci reperiantur, & corallus tantum lapidescat) optime concoquitur, assatur, & lapidescit.

Quartum genus lapidum est eorum, qui sub terra fiunt, & Montes lapideos constituunt. Cuius generis materiam Peripatetici dicunt esse exhalationem siccam, Academici vero terram per aquam excolatam, addit Plato quod si partes terræ æqualiter bene componanturq; misceanturque cum partibus aqueis non fiunt lapides ęquales, diaphani & pulchri at si è contra res contingat, gemmæ, & lapilli pretiosi nascuntur, qui sanè fiunt a succo purissimo, & non ab exhalatione, vt voluere aliqui cum huiusmodi lapilli concrescant non soli, sed iuncti cum aliquo lapide in quo latent: Ideo ex succis gignuntur, & non ab exhalatione sicca, quod etiam patet cum eodem modo gemmę concrescant, quo & succi concreti, vt est Atramentum sutorium, & saccarum candidum, etsi hoc ab arte concre-

crescat, & hæc est ratio cur lapilli sæpijssime concrescant in facies, & in treis, quatuor, & quinq; angulos nunquam enim lapilli pretiosi rotundi reperiuntur, cum iuncti cum alijs lapidibus inueniantur.

Patet ex succis fieri, & non sicca exhalatione, quia essent opaci, & nebulosi, vt alij lapides, qui ex tali materia fiunt. Quare iure opinati fuere quidam Philosophi, vt Agricola, Auicenna, & Albertus, quod lapides perlucidi plus aquæ contineant, quàm terrę. Quibus enim modis congregatur materia lapis futura Auicenna non explicauit: Dicimus tamen nos, quod si permixtio abundauerit terræ dicitur lutum, sin aquæ succus, nil enim est aliud lutũ quàm terra, & succus, quàm aqua. Est igitur materia lapidis succus limpidissimus optime concoctus, & perconcoctionem attenuatus, & purissimus factus, humidoq; superabundanti, atq; excrementitio spoliatus, sensim apponitur, & adeo ęqualiter, vt ne linea quidem in lapillis generetur.

Quintum genus est illorum lapidum, qui in varijs animalibus generantur, & ipsorum varijs partibus, & hisce sunt in duplici differentia: Nam aliqui sunt toto genere pręter naturã respectu animalis; alij vero secundum naturam, vt lapides pretiosi, & gẽmei, qui reperiuntur in diuersis animalium partibus, vt in capitibus cochlearum nudarum, in capitibus Bufonum in ventriculis etiã Pullorum Hyrundinaceorũ, quos aliqui gestant in collo suspensos in Amuletis, & dicunt quod faciunt ad memoriam roborandam, in ventriculis etiam Caponũ vetustorũ, & Gallorum Gallinaceorum, & Piscium capitibus, in Ostreis, & huiusmodi; Quorũ materia diuersa est,

nam

nam Materia lapidũ, qui in Oſtreis reperiuntur, Perlæ ſic dicti, eſt ſuccus quidam purus, quem animalia iſta attrahunt ex ſuis lapidibus: Materia vero lapidum cochlearum, & ſimilium eſt ſuccus attractus a terra, & ſaxis; cum in his ſemper degant, & terram lambant; ſimiliter materia lapidum qui in capitibus piſcium generantur, eſt ſuccus lapideus, qui in Mari reperitur quod patet ex palis illis qui venetijs ſubſtinent pontes, circa quos inſpiciuntur ſtiriæ lapidoſę: De capo vero, & de pullis Hirundinaceis, & Gallo Gallinaceo legimus, quod materia eſt terrea, cum terram aſſumant, quę terra optime concoquitur: At materia illorum lapidum, qui toto genere prꝑter naturam ſunt, eſt humor quidam viſcidus, craſſus, & lentus, qui aſſatus concreſcit in lapidem, de quo humore inferius magis cumulatè agetur: Errare igitur maxime conſtat illos, qui vnicam cauſam materialem tantum pro lapidis generatione conſtituunt, de qua hactenus.

DE CAVSA EFFICIENTE.
Cap. II.

ET ſi aliqua fuerit diſſenſio inter ſapientiſſimos Viros de materia lapidum, maior tamen reperitur controuerſia inter eoſdẽ de cauſa efficienti. Democritus Philoſophus antiquiſſimus concreſcere lapides perſpiciens non ab re forſitan exiſtimauit anima vegetatiua eſſe prꝑditos: quam opinionem imitatus ſubtiliſſimus Cardanus libello de rerum ſubtilitatibus putauit lapides animatos eſſe, & per conſequens animam eſ-

ſe

ſe cauſam efficientem immediatã generationis, & conſeruationis lapidis, & licet ſuam ſententiam confirmare enitatur, dicendo, nutriuntur lapides, augentur, generantur, moriuntur, vitam habent, maturanturq; ergo animam habent, friuolæ tamen ſunt omnes eius rationes, & adeo ſubtiles, vt citò euaneſcere debeant: Negamus etenim, quod vere nutriantur, augeanturq; quoniam deficit principium intrinſecum, à quo poſſit fieri vera auctio, & nutritio, cũ potius in lapidibus fiant extrinſecus, iuxta ſcilicet poſitionem partium; moueor enim ſententia, & auctoritate lucidiſſimi Themiſtij ſummi Peripatetici ſcribentis rerum de Anima cap. 3. *Lapides quanquam grandeſcere videantur non tamen viuunt, quia crementum illud non ex alimento intus molito diſpenſatoq; in penitiores partes attollitur, ſed fit ex appoſitione materiæ, aut ſi per omnes partes attollitur, erit in his vtiq; alia ratio vitalis, ſed ſubobſcura, & admodum tenuis, & quę ſequuntur.*

Impropriè igitur, & æquiuocè dicuntur lapides nutriri, & augeri, apponitur enim extrinſecus pars quædam parti, vt patet in vnionibus, (quod erat pro exemplo poſitum ab ipſo Cardano) hoc eſt in quibuſdam generibus Plantarum, vt Cæpæ, Aſcalonia, & ſimiles: Nam qui volunt ipſas puriores habere, tollunt primum, ſecundum, & tertium corticem, vſq; quo reperiatur corpus puriſſimum. Pręterea ſi in corpore animato, & ſuis partibus, vt Renibus, & Veſica alijſq; locis non verè augentur, ſed fiunt per iuxta poſitionem partium, eo magis concludendum eſt non poſſe vere augeri in locis inanimatis; & licet faciant inſtantiam, cum habe-

habeant lapides instrumenta nutritionis, fibras quasdam videlicet, quibus alimentum attrahunt quæ aliàs essent frustra: Respondemus tamen, quod si per fibras intelligant venas cauitates quasdam, quæ sunt inter lapidem, & lapidem, falsum est, quia non faciunt ad nutritionem, si autem intelligant per fibras venas, error erit peior priori, cum sit potius in Adamante, & alijs lapidibus pretiosis causa imperfectionis, nedum nutritionis: Nam si Carbunculus haberet capillum, aut lineam ęstimaretur minori pretio. Adsunt tamen pori quidam tenuissimi, at non instrumenta vera pro nutritione molienda. Eadem ratione responderi potest cum arguit ille vir subtilissimus, quod generantur lapides, generatio vero fit per mixtionem, mixtio fit a calore, qui vel est anima, vel animæ instrumentum, ergo sunt animati: Negamus nos calorem semper agi per animam, & eandem esse rationem generationis rerum animatarum, & inanimatarum.

Cum etiam additur, viuunt, moriuntur, &c. Respondeo, quod est ęquiuocè hoc dictum. Nam vita sumitur aliquando pro duratione, & sic bene sensit Cardanus, sicq; arte cuncta facta vitam habere dici potest; omnia enim statutum tempus habent perdurandi, & seruandi se ipsa. Posuisti enim terminos quos præterire non poterunt, legitur in Iob cap. 14. Et per consequens dicuntur maturari, concoqui, viuere, & similia adscribuntur metaphorice.

Auicenna idem Philosophus, & idem Medicus, naturam efficiendi lapides habere putat calorem, & vim quandam insitam, quam vim, & facultatem Albertus

Ma-

Magnus non fuit inficiatus, imò penitus confirmauit, Galenum forſitan imitatus, qui facultatem carnem generantem carnificam, quæ oſſa, oſſificam, quæ neruos neruificam, vocarè conſueuit. Quæ virtus, & facultas manifeſtè apparet in ſemine, in quo virtus generatiua inſita eſt, conſpicua etiam (& ſi minus) in lapidea ſit materia, in qua virtus lapidificandi reſidet, & addunt viri iſti maximi Philoſophi, locum & cęlum infundere iſtam virtutem. At falſa eſt huiuſmodi opinio, licet prima fronte probabilis ſatis videatur: Nam non currit ſimilitudo de ſemine plantarum, animaliumque, & de virtute lapidifica in luto. Illa enim ſemina ſunt potentia animata, & vix animata dicuntur. Materia vero lapidea, & lutum non eſt animatum: Nam ſi ſecus res ſe haberet, plantæ, & animalia non different a lapidibus, ſemina enim internum habent principium generationis.

Præterea dicit Hippoc. lib. de Genitura, quod in animalium ſemine ſunt duę partes, ſpiritus, qui ſe habet ex parte efficientis, & materia pars, ſcilicet quædam craſſior, quod confirmauit etiam Ariſt. In luto vero impoſſibile eſt vt reperiantur; falſum quandoq; videtur eſſe id quod addunt de loco, à quo materia lapidifica alterari poſſit, & accipere vim illam, & facultatem, cum lapides multi geniti in cacuminibus montium, ab aere, & a terra ambiantur, dicendum erit, quod etiam ab aere, & terra virtutem ſumant, vnde lapides, qui in animalibus fiunt, cum ab aere non tan-

gantur, aut terra, non erunt lapides vere nuncupandi. A cœlo vero trahere vim lapidificam penitus non inficiamur, at est causa efficiens nimis cõmunis, & vniuersalis, aut enim lumine, aut motu, aut influentia agant, non est disserendi locus; sol, & homo generant hominem, dicebat Aristot. ita quoque locum causam satis communem vocare possumus, sed non immediatam, quam nos in præsentia venamur. Quare opinio Hermetis, qui stellas pro causa efficienti constituit non est omnino aspernenda, agunt sanè in hæc inferiora, at remotè, & non proximè.

Empedocles referente Aristotele 24. sect. problem. 11. magis veritati accedens fuit huius sententię, vt crederet calorem magis, vel minus internum, vti patet in lapidibus opacis, tophis, & similibus, & pręsertim lapide illo Chimistarum, & pumicoso, qui non concrescunt nisi ratione maximi caloris; quæ opinio &si vera, diminuta tamen videtur, cum non omnes lapides à calore concrescant, sed etiam à frigore, vt Christallus, Adamas, Topatium, & similes, qui veluti à frigore generantur, ita ab eodem conseruantur, & à calore corrumpuntur. Ideo Adamantes non in loco calido, vt experientia docet, sunt collocandi, atque seruandi amittunt enim tunc facultatem, & calorem, sed in ciatho aquæ frigidæ, vel suprà marmor. Quod frigus sit causa efficiens lapidum, præter auctoritatem Doctissimorum Virorum, vt Platonis, Theophrasti, Aristotelisque, adest quoq; experimentum, & ratio:

Nam

Nam lapides quidam pretiosi , vt Adamas, Carbunculus , & similes oriuntur in vallibus, & cauernis quibusdam frigidissimis ; ratio vero patet, quia frigidi proprium est condensare , & calidi assare , & adurere , vt notum faciunt opera arte hominis facta , consumitur enim humidum superfluum rarefaciendo corpus illud , & euaporando , mox superuenit calido expresso frigidum, quod coagulat , & congelat . Vnde dupliciter lapidem fieri contingit , conglutinatione , & congelatione , primo modo cum aliquod fuerit lutum viscosum pingue,quod cum exsiccatur in quamdã dispositionem deducitur mediam inter lutum , & lapidem , secundo modo cum grossius frigidum condensat , & indurat , vt indicat cristallus ; iure igitur Agricola lib. 4. de subterraneis cum Peripateticis consentiens , alijs repudiatis sententijs , scripsit; quod lapidis causę proximę, sunt calor , & frigus : Deinde quodammodo succus lapidescens; at quomodo calor , & frigu s in hoc negocio se habeant , & quomodo lapis per consequens generetur , à nobis infra explicabitur , vt facilius ipsum quod quid est venari queamus .

QVOMODO LAPIS GENERETVR.
Cap. III.

DIctum est , calorem , & frigus esse causas immediatas lapidis,& non fuit adhuc explicatus modus generationis eiusdem , & operationis illarum qua-

litatum; ideo Agricola in lib. 4. subterraneorum ab alijs omnibus dissentiens, & cum Peripateticis consentiens hoc scripsit. *Nam lapides, quos aqua humectando dissoluit, eos calorem compegisse exiccando intelligimus, contra vero qui calore ignis liquescunt, vt silices ex frigore concreuisse; concretio enim, & ei aduersæ affectiones resolutio, atque liquefactio oriuntur de causis inter se contrarijs*. Calor autē ex materia extrahens humorem efficit durum, ac frigus eundem humorem, aere maxima ex parte excluso, arctissime constringit, & propterea Arist. 5. de Gener. anim. c. 3. dicebat, calor ac frigus indurant, namq; euenit, vt ab vtrisque humor euaporetur, sed à calore per se, à frigore per accidens, vnà enim cum calore humor abstrahitur, nullus enim humor sine calore est; sed frigus non modo indurat, sed etiam densat, calor verò laxat rarioraque facit, & ideo in frigido aere, & thorace frigido fit vox grauior, & 2. de part. anim. c. 2. calor, tum liquandi, tum cogendi vim habere videtur, & frigus congregandi, vt 2. de generatione, & corruptione, homogenea, & hęterogenea, sed non per se, at per accidens, quia natura non vtitur frigiditate per se, & prima intentione in operationibus suis, in qua significatione sumens Galenus lib. de sympto. caus. dixit, frigidum nulli functioni esse vtile nisi per accidens, vt patet ex declaratione 15. aphor. 1. partic. vbi legitur quod ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, de cuius veritatis speculatione satis, & abunde scripsimus in nostris super aphorismos publicis interpretationibus.

Nulli

Nulli igitur dubium, quod calidum (vt 24. partic. probl. 14.) vim concoquendi ſiccandiq; obtinet, frigidum vero compeſcere, atq; contrahere poteſt, vt etiam idem Ariſtot. teſtabatur 13. par. probl. 5. cùm quærebat, cur res male olidæ cum calent grauius olent quam cum frigent, dicens; an quod natura odoris vapor quidam, & delatio eſt, quæ calore exiſtunt? Motus enim quidam ſunt, calor autem mouendi vim obtinet, frigus contra efficit, vt res conſiſtat, & contrahatur, quod etiam idem ſcripſit 14. partic. problem. 8. dum inueſtigabat cauſam, cur timidi ſunt qui loca feruida incolunt, fortes qui gelida, quod clarius 5. lib. de gener. animal. loco citato docebat, dicens; Scithæ oues molles ſunt pilo, at Sauromaticæ duro, cauſa eadem quæ in omnibus feris eſt; frigus enim indurat, propterea quod cogendo exiccat, cum enim calor eximitur, humor vnà euaporatur; & paulo infra ſubdit, duri verò pili, & rigidi modo penè lapides conſtant propter frigus, & gelu, eodemq; modo cætera quæ terra gignit duriora, & terroſiora, lapidoſioraq; gignuntur locis Aquilonijs, quàm Auſtrinis, & vento expoſitis, quam concauis, & quietis, frigent enim omnia magis, humorque euaporatur.

Sed dubitari poteſt quomodo vérum ſit, quod à calore, & frigore lapides concreſcant: Reſpondemus, quòd modo vna cauſa agit, modo altera, pro diuerſitate, & diſpoſitione materię. Sciendum eſt enim quod in viſceribus terræ excitatur fuligo, quæ inibi variò

mo-

modo concoquitur, & alteratur. Si calor fuerit validus agens fuliginem illam, absumatq; omnem humiditatem pręter viscidam continuitatem, tunc fit lapis opacus, & ineliquabilis, at si non tota humiditas absumatur fit lapis minus opacus. Similiterq; si calor agat in succum, & absumat humiditatem, deinde adueniat frigus, & succus concrescat generatur lapis, qui nec à calore, nec à frigore emolli, aut eliquari potest: Quam lapidis concretionem perbelle explicauit Galen. lib. de Renum affec. dignot. cap.2. dicens. *Nec operosum fuerit discere à rebus externis lapidis concretionem, aut à frigore, aut à calore fieri veluti in riuulis, & canalibus, cũ caliditas, materia non expirante, & ventillata exoritur, cum aqua in aliquo canali substat calor quidem præter naturam accenditur, quo dispergente id quod in aqua sic cænosa partium erat tenuium, quod craßarum est partium in terram durescit, manensq; eo in loco substantiæ lapideæ, ex qua factus canalis est adhærescit, & in lapidem sic colligitur.* Subnectam aliud de re nota exemplum, in lebete generari lapides sępe compertum est, aquæ parte, quę tenuis fuerat dissoluta, manente alia quæ crassa, & terrena est, ea enim lebetis, vel alterius corpori affigitur, & lapidescit.

Et licet instare aliquis possit, quod in curatione maxime notare oportet, dicendo quod dum aliqui lapides concrescant à frigore, sequatur, quòd à calore liquentur per sententiam illã famosam Aristotelicam, videlicet, quę concrescunt à frigore eliquantur à calido. Respondetur tamen, quod vera est propositio in

his

his, quæ ex concretione non amiſerunt totum humidum ſuperabbundans. Ideo Auer. 4. Meteor. com. 1. iure ſcribebat, coagulata quędam à calido liquefiunt à frigido ſicut ſal, coagulata à frigido liquefiunt à calido ſicut ferrum, quędam à calido coagulata non liquefiunt à frigido, vt fictilia, & quędam coagulata à frigido non liquefiunt à calido, ſicut ſunt multi lapides minerales, qui vere lapides dici debent, cum nullus lapis, vt lapis molleſcat, liqueturue caloris vi, aut humidi. Reſpondet etiam huic maximę dubitationi Falloppius excellentiſſimi Mercurialis præceptor lib. de foſſilibus cap. 8. ſed hęc de generatione lapidis in genere dicta ſufficiant.

QVID SIT LAPIS.
Cap. IV.

EX modo generationis, atq; cauſis enarratis, facilè erit nunc venari lapidis eſſentiam, quæ nihil aliud eſt niſi corpus terreum, friabile, durum, quod nec vi humidi, nec potentia ignis liquari poteſt, quæ cuncta manifeſta eſſe poſſunt: Nam ſi Gal. dicit quod terra non eliquatur, niſi habeat admixtum aurum, vel argentum, vel aliud ſimile, & Alexander quoq; Aphrodiſeus dicit quod terra non eliquatur, niſi habeat in ſe vitrum, quanto magis idem aſſerendum eſt de lapidibus? Qui niſi habeant admixtum metallum, aut vitrum nunquam emollientur, aut eliquabuntur vel ab humi-

do, ſeu à calore , & ſi oppoſitum accidat non ea lapidis natura propria, ſed ratione vitri, vel alterius metalli admiſti contingerit . Quapropter qui metalla fundunt cauent potiſſimum ne genus illud illiquabile commiſceatur in fornacibus cum metallo; & licet Agricola duplicem afferat lapidis definitionem, videlicet, quod lapis ſit corpus foſſile, ſiccum, atq; durum, quod ab aqua non emollitur, ſed ab igne conuertitur in pulueremꝫ vel quod ſi corpus foſſile durum,ac ſiccum,quod nec emollitur ab humido,ſed eliquatur à calido; tamen cum non explicite oſtendant hæ definitiones lapidis naturam, ſed ferro etiam videatur has conuenire poſſe, ideo vir iſte non eſt laudandus, veluti etiam eadem ratione poteſt reprehendi Galenus, dicens lapidem eſſe corpus duriſſimum, quod ab humido irrigatum, non emollitur, ferrum enim ſi per centum annos, & plus ſtaret in aqua detẽtum non propterea fieret molle, poſſet forſitan corrumpi, & ſic in alterius corporis naturam transmutatum non eſſet amplius ferrum: Ariſtoteles definitionem non attulit, vel quia cognouerit rem fore arduam, vel quia crediderit ex paſſionibus lapidis colligi poſſe; vnde 4. Meteor. cap. 9. ſcripſit, quod lapis non flectitur, quod eſt friabilis, quod non recipit impreſſiones, quod non eſt ductilis, quas paſſiones omnes naturales Philoſophi fateri poſſunt non eſſe proprias lapidis, at cum terra ſuccisq; communes; ideo amplexanda eſt prior definitio , quæ omnes paſſiones lapidis proprias explicat . Etſi multi Philoſophan-

phan-

phantiũ reclament ſententię noſtrę, confirmare nitentes, lapides aliquos emolliori ab igne; Nihilominus rationes in medium afferre, mox diluere,non curabo, & ſimul fundamenta deſtruere, quoniam ab inſtituto nimis recederemus; ad vtilia enim magis, properare ſtudemus: declarabimus tantum, ſed breuiſſimè aliquas in definitione particulas poſitas.

Diximus friabiles ad differentiam ferri, & oſſis, & licet obſtet quòd Adamas non ſit friabilis, quia ſi contundatur in mortario comminuitur in minimas partes; dicimus tamen friabile eſſe, & non frangibile, vt oſſa, & ferrum; dum addebatur quod non liquatur a calido, nec ab humido, differt per hoc a ſuccis concretis.

DE CAVSA INSTRVMENTALI, SEV DE LOCO in quo Lapis generatur. Cap. V.

QVęrens Auctor libelli de renum affectu dignot. cap. 5. quæ ſit cauſa inſtrumentalis lapidis, vnico verbo penè negocium totum abſoluit dicendo inſtrumentalis cauſa eſt Ren, aut veſica, vel pars alia, quę generando lapidi ſit opportuna; locum igitur per cauſam inſtrumentalem intellexit, ſed quia de lapide corporis humani tantum peragit,ideo partes noſtrę erunt, loca in genere prius inueſtigare, (Hæc enim eſt via & Methodus ſcribendi idonea, Auctore Ariſtotele Prohemio pr. Phyſicorũ) in quibus lapidis generatio fiat, mox ad proprios magis deſcendere;

 commu-

communia enim, multis de causis, minus communia præcedere debent: loca igitur sunt varia, nam generantur lapides in plantis, vt dictum est de seminelithospermi, & de corallio, quod planta est; reperiuntur, etiam iunci in balneis Rancolani, qui lapidescunt: Ratio est quia plantæ istę succum attrahunt lapideum, qui temporis interuallo concoquitur à propria facultate plantę. Generantur quoq; lapides in terra, & hic vel insuperficie, vt in montibus, vel in concauitatibus terræ, ad nascuntur etiam in aquis, & balneis, & mixtis, non simplicibus, quia aqua, vt aqua non potest lapidescere, veluti etiam in lignis legitur lapides fieri, imò experimento confirmatur ipsas lapidescere; nascuntur tandem in animalibus, & in his vel naturaliter, vt in limacibus, ostreis, piscibus, vnionibus, cochleis, & huiusmodi, vel pręter naturam, vt in homine; in cuius corporis partibus diuersis nascuntur: At nulli dubium, quod vt plurimum in renibus, & vesica, & sic debet intelligi Galeni auctoritas primo de locis affect. cap. 5. Rarò in articulis, rarissimè in pulmonibus, iecore, liene, corde, & ventriculo, intestinisque, Musa quidam Auctor sane non ignobilis refert, mulierem ex ano quinq; lapides reddidisse, quod verisimile maximè esse videtur, cum pituita lentissima sæpe hæreat, quæ potest concrescere, dum satis non detergitur. Memini ipse quoq; plumbini contigisse, virum nobilem post multos cruciatus ventris inferioris excreto lapide, liberum euasisse, quod etiam notatur à Romberto Rodo-
neo

neo Medico Cæsareo cap. 9. euenisse Mariotto cuidam Palla, qui lapidem ex intestinis reiecit. Iocatius in lib. Coacis Hippoc. sect. 2. com. Aph. 52. testatur, lapidem in corde repertum fuisse, & cap. 47. super Hollerij Pract. refert, quod mulieri cuidam intollerabili cruciatu vrina purulenta profluebat, mortua tandem post quartum mensem, atq; dissecta, duo calculi in corde cum multis abscessibus paruis inuenti, renibus integris & vijs vrinæ: Refert idem Auctor Alberto Sauonarolę mortuo decem calculos inuentos fuisse in vesica magitudine oui columbæ: Galenus lib. de humoribus meminit, calculi in vtero reperti, & 4. de loc. aff. cap. 8. meminit, cuiusdam qui è thorace, velut grandines expuebat; Rombertus a nobis super citatus cap. 24. memorię mandat, Alemannum quemdam (& si aliqui moderni scriptores Antonio Beniuenio lib. de abditis morbis adscribant, lapidem sputo reiecisse, causa vero assignatur a Mercuriali viro sapientissimo lib. 3. de excrementis, & est, quod cum sputum fuerit diu in thorace detentum, & à calore illarum partium instar laterum excoctum, iure induratum, & in lapidem conuersum fuit: Refert Trincauellus Excellent. Doctor, quòd quidam vehementi tussi lapillos ex pulmonibus eiecit, & fatetur interfuisse quibusdam sectionibus corporum Venetijs vbi reperti fuere lapides quidam in substantia iecinoris concreti, quod etiam confirmauit Petrus Andrea Matthiolus Senen. noster. lib. 5. suarum doctissimarum epistolarum, in responsione Iacobo Cameni-

ceo Medico, in qua ſoluens dubitationem quamdam, hæc ſcripſit verba . Namq; tametſi id non dixerit Galenus, hoc tamen nihil obſtat quominus etiam in iecore, vt in renibus oriri calculi poſſint; quippe cum in iecore eadem ſit materia craſſa, glutinoſa, calculiſque gignendis idonea, nec ibi calor deficiat cuius vi lapidiſcat, nihil prohibet, quin calculi ibi etiam fieri poſſint; nam cum eo obſtructo, quandoq; craſſa, quandoq; glutinoſa, ambo ſimul, habeat excrementa, calor non deficiat, nec vaſorum cauitas, nihil mirum ſi lapides ibi gignantur; ſubiungitq; caſum, lapidem amigdalæ nucis quantitate in Aureliæ Petrucciæ Pandulphi Tiranni coniugis iocinore senis repertum, in quem, interitus illius cauſam, reijciebant Medici.

Refert quoq; Iacotius in ſuis ſcholijs, in nobiliſſima Muliere ſecto folliculo fellis in Armenia liij. lapides repertos, quos etiam apud ſe retinere ſcribit, quod a Fernelio quoq; lib. 6. de Morbis, nec non eadem epiſtola a Matthiolo idem aſſeritur: De quare, & ſi poſſit eſſe maxima dubitatio, cum non videatur locus ille idoneus pro lapidis generatione, eſt enim fel humor amarus, & incidit; imo a natura factus ad detergendũ, & penetrationem humorum faciendam: Reſpondetur tamen, quod origo eſt a flauabile quæ proprio conceptaculo diuitius cœrcita, nec tempeſtiuè vacuata, nec nouæ influxu renouata, mirum in modum obdureſcit: Id autem in primis accidit cum vterq; cyſtis fellis ductus obſtruitur; huius quidem affectus, neq; manifeſta

ſunt

ſunt ſigna, neq; grauia ſymptomata: At Falloppius aliam attulit reſponſionem cap. 7. libri citati dicens, quod ex bile illa non fit per ſe lapis, ſed per accidens, quia commiſcetur ſecum humor lentus, qui aſſatus a caliditate bilis lapideſcit, & ita bilis concurrit potius vt agens, quam vt materia; Galenus lib. de humoribus cap. 4. & 2. ad Glauconem cap. 7. ſcriptum reliquit, reperiri in abſceſſibus concretam quamdam materiam lapidibus maxime ſimilem quod 14. Meth. cap. 17. confirmauit dicens; lapidum fragmenta reperta fuiſſe in abſceſſibus, quod fortaſſis fuit cauſa, vt cum Hippocrate diceret, ex pure gigni poſſe lapidem, rupto aliquo abſceſſu: Credunt aliqui quod ex fęcibus lapides fiant, quod falſum eſt, nam humidum fęcuum continuatum facilè a calore immodico diſſipatur, vnde partes terreæ ſtercorum diſcontinuatæ nequeunt in lapides concreſcere; aſſerimus tamen fęcibus lapides commiſceri (vti notauit doctiſſimus Mercurialis, quem honoris gratia dum nactus occaſionem ero ſemper nominabo,) cauſa vero eſt continua & longa actio caloris in humores crudos, qui conſtipati, & incraſſati ab ipſo inteſtinorum calore in lapides concreſcere queunt, & tunc inditium manifeſtum erit ipſorum magnus calor, qui crudos homores valdè aſſet, nec non imbecillitas ventriculi, crudos, pituitoſos, viſcidoſq; humores gignentis. Concludatur igitur quod generari in multis corporis partibus poteſt, at ſępius in veſica, & renibus, quorum cum duo ſint loci ad calculi genera-

tionem

tionem idonei, vtrosque cum Practicantibus Doctoribus aptos fore censebimus.

DE CAVSIS GENERATIONIS LAPIDIS *in renibus, & vesica. Cap. VI.*

INter veterinarios Medicos maxima dissentio fuit an bruta lapidem patiantur, & in ipsis gigni possit, Absyrtus, & Geroes Medici veterinarij nullam fecerunt mentionem de lapide in iumentis: Vegetius è contra lib. 2. suæ medicinæ cap. 12. verba facit de isto affectu, & curationem docet, quam sumpsit forsitan ab Aponensi sectione 10. Problem. com. 12. vbi scripsit, se vidisse calculum in vesica suis, contra Aristotelem, qui eo loci asseruit lapidem vesicę fieri tantum in homine; & ratio est, inquit ipse, quia aliqua brutorum, vel non habent vesicam vt pisces, & aues, vel si habent, canalis, viaq; ipsorum ampla est, vnde facilè per vrinam excrementa terrestria excernantur, & hæc est ratio, cur bruta continuò vrinam mingunt crassam, lutulentam, turbidam, & tandem similem vrinę hominum laborantium calculo; sed quia experimentum opponitur Aristotelis auctoritati, ideo sic conciliari posse existimarem; voluit enim Aristoteles intelligere de his quæ rarò his animalibus contingunt; nam rarissimè accepimus bruta calculo laborare, qua ratione Vegetius quoque persuasus, vllum verbum de huiusmodi morbo facere voluit. Cum igitur frequentissimè homines

mines calculo laborent videndum eſt, quæ nam ſit cauſa, & qui ad huiuſmodi affectum habendi magis ſint procliues; quod erit facilè ſcitu, ſi eorum quæ ſcripſit Galenus 3.6. Epidem.com. 15. & lib. de renum dignotione, cap. 2. meminerimus quibus locis videtur conſtituere pro materiali cauſa humorem craſſum, tenacem, & glutinoſum, vel vtroq; modo vitiatum, & addidit.

Demonſtratum eſt enim in Commentarijs de facultatibus naturalibus, renem trahere ad ſe quicquid in venis seroſi, & tenuis cum ſanguine permixtum reperiatur, qui ſi aut craſſior ſe ipſo eſt, aut pituitoſior, aut magis ad bilem atram, aut rufam demutatus, ferturq; ad renes per venas, & arterias, vel in cauitatem, vel in ſubſtantiam, eò delatus, ſi quantitate, vel qualitate, vel conſiſtentia excedat, adſtringitur, detentuſq, concipit caliditatem præter naturam, hæc caliditas amplius eũ denſat, agglutinat, & aſſat, aſſatumq; ipſum, in terram, & lapidem commutatur; & ſubdit; ſunt igitur meatus qui in renis ventriculum illud tranſmittunt; qui ſi quando latius diſtendantur, craſſius vnà aliquid colatur, quo calefacto & exiccato in renis cauitate lapidoſam conſiſtentiam aſſequitur. Quamobrem ſi virtus ſegregatrix ipſius renis id omnem in vrinis expulerit; arenoſum in ipſis ſedimentum proueniet. Si infarctum id & ſolutu difficile ſit quod renis cauitas ſuſcepit, ad eum aliud adhuc non abſimile ex caua vena immiſſum, deinceps colligitur, & augeſcit (circumlinitur enim

ſemper

ſemper quod affluit, ei quod iam adeſt) itaq; lapis non adeò contemnendæ magnitudinis exurgit: Ex his quę a Galeno dicta fuere, & eodem capite dicenda, colligitur, quod cauſa materialis ſit humor craſſus cum aliquo lentore, alias in lapidem non concreſceret; nam non omnis terra eſt materia idonea pro lapidum generatione, at quæ argilloſa, & tenacitatis particeps eſt, ideo cum Galeno omnes Practici Medici, & Philoſophi conueniunt, & præcipue Agricola lib. 4. ſubterraneorum, & Faloppius lib. de Metallis cap. 9. quod huiuſmodi humor ſit pituita, aut alius ſimilis, dummodo craſſior, & lentus, aliquando tamen cum ea ſanguinis aliqua portio commiſcetur, ex qua commixtione fiunt deinde colores calculorũ diuerſi: Nulla etiã poteſt eſſe dubitatio de cauſa efficiente apud Galenum, qui palam conſtituit calorem renum, maximè aereum, exurit enim, & abſumit quod eſt tenue, & aqueum in ea conſiſtentia, neq; de cauſa inſtrumentali, quæ ſunt via, & meatus, locaq; idonea pro calculi generatione, debent enim eſſe ſtricta, ſeu obſtructa, quod ex defectu, & qualitate humoris craſſi, & viſcidi ſæpius contingere poteſt, ex quibus ſequitur calculos ſeu in renibus, ſeu in veſica fieri in his corporibus præſertim quæ pituita craſſa, lenta, viſcidaq; abundant, & quæ articulorum doloribus capi ſolent, qua de cauſa ſæpe hęc duo ſimul iunguntur ſymptomata. Pituita vero craſſa, & viſcida in his commode gignitur corporibus, quæ a calore moderato recedentia pituitam gignunt, recedunt a calore

lore

lore naturali ob plurimos errores in victus ratione cõmissos, & pręcipue circa potum, & alimenta; sed non propterea sola pituita crassa, & viscida, calculorum,& arenularum materia est necessario semper statuenda, sed etiam alterutra bilis terrea, quę cum pituita communem habet crassitiem, & hęc cum calore renum iuncta, lapidi facit viros obnoxios; at nulli dubium, quod ad concretionem huius humoris in lapidem, concurrit etiam præter materiæ dispositionem, mora, quæ adiuuat, & calor quoq; qui perficit; tribus enim modis calor potest calculi esse causa, mora videlicet, excessu, & copia; per moram enim paulatim humidum tenue resoluit, excedens vrit,& indurat, copiosus crassitiem humorum eliquat, liquatum tandem ac dissolutum etiam exhaurit relicto terreo,quod etiam subsistẽdo, causa per se calculi esse potest; multarum igitur causarum concursus conuenire debet in tenui, aut acri humore, vt immoderatus calor renum, qui per euaporationem materiam induret, humoris copia, magna crassities, maximus lentor, eiusdem expultrix facultas languidior,meatus angustiores, aluus dura, & suppressa,hęreditaria quędam aptitudo ad Nephritim; quę tẽperamentũ sequitur;& ad huc magis compositio quarũ vtraq;ingenitos cõmigrat: Quarè quod dicitur ab Auctore lib. de ren.affect.dignot.Arenulas scilicet certum propriumq;lapidis indicium esse, & ab Auicẽna quoq; qui significare lapidem presentem voluit, qui vel gignatur, vel dissoluatur, necessarium semper fore non existimo, &si aliquando verum passimq;occurrat,quòd

quibus vrinę ſint ſabuloſæ, abſq; calculo ſint, vt ea etiã ratione magis tuti reddãtur ab eius generatione, quod crebra illa arenularum excretio valere renis expultricem oſtendat, humorem verò neq; multum eſſe, neque lentum; prętereà arenulæ, quę facilè atteruntur, nec ſcabritiem habent, ſed vitro hærent, ſæpius à bile in vaſis ducunt originem.

Neq; verum eſt etiam, quod recentiores (vt Auctor quidam doctiſs. confirmat) viri ſcripſerunt, primam videlicet generationem calculi in veſica nõ fieri, vt Hippocr. 6. Epidem. 3. experimentis fidens ſcripſit poſt mictionem concretio pueris magis, in his enim cum magna ſit natiui caloris copia, & validę actiones, materia craſſa funditur, & in renes delata facilè percolatur; ſed quia veſica frigida eſt, neruea, & paruo prædita ſanguine, & in ea ampliſſima eſt cauitas, ideò humorum craſſities in ipſam trãſmiſſa ibì iterum cogitur, atq; concreſcit, & ſubſiſtendo, concretionis huius principium accipit, cum eo tempore non excreta, quo oportet diutius manet intus; facto itaq; huiuſmodi principio, reliquum quodcumq; rurſus in veſicam peruenit, craſſum adformatur, fitq; maior prorſus lapis: Neque verò ſolum omnium naturalium functionum robur cũ humorum craſſorum fuſione, calculorum in pueris in cauſa eſt, ſed etiam magna ipſa caloris copia, quę materiam in vaporem digerens lapidem generat. Omnis igitur materia viſcida, omneſque ſuccis, humores, excrementaq; ad illius ortum idonea ſunt, (pręter ichores) quia habent lentorem quemdam, cuius cauſa diui-

ſæ

ſæ partes inuicem vniri poſſunt, & per conſequens cõcludere poſſumus, quod quæ maximè viſcida ſunt plurimum apta, & diſpoſita eſſe poſſunt pro calculi generatione; & ideo pituitam primum locum in hoc negocio obtinere putamus.

Non tamen negamus cum Hippocrate (cum veſicæ pars à renibus tum temperamento, tum ſitu maximè diſtet) aliam quoq; cauſam poſſe lapidis concretionis in veſica imaginari, vrinam ſcilicet aduſtam à feruore, & ardore; quorum enim aluus fluida eſt, ac ſana, & veſica, aut veſſicę os, nõ ardet, his facilè vrina effluere poterit, nihilq; congregari: Quorum verò aluus ardens, & feruida fuerit in his, etiam neceſſe eſt veſicam idem pati, & cum magis quam par ſit calefacta fuerit, & ſtomachus eius inflammatus vrinam non totam dimittit, ſed in ſe ipſam concoquit, & adurit, & tunc indicium erit vrina ſplendidiſſima seri inſtar, vnde Braſſæuolus alium modum affert generationis lapidis ex eodem Hipp. 4. de morbis fieri enim ex arenis, ſedimento velut glutine copulante; hinc patet, quod aliquando in pueris non ſentitur dolor nephriticus, & ratio eſt, non quia calculis non laborent, ſed quoniam in veſica proprie, & per ſe fit generatio, & non à renum mala temperie dependet, vt voluit Fernelius, cuius opinio erit vera, vt plurimum. Concurrit igitur neceſſario ad generationem calculi ſubiectum, & efficiens, at aliquando ſubiectum magis, aliquando fortius efficiens; ratione efficientis caloris magis quam ſubiecti gignitur calculus in hepatis cyſti; in veſica verò ob materiam di-

ſpoſitam magis, ob quam in pueris precipuè lapis in veſica gignitur, in adultis potius in renibus, ratio autem eſt, quia in pueris eſt robuſtus calor natiuus, & maximè ſi veſcantur lacte craſſiore, intemperato victu, intempeſtiuoque exercitio vtantur, ſuccus enim illis craſſus in diſtributione alimenti deſcendit ad renes, horum vis robuſta deponit in veſicam, vbi calore lapideſcit; additur quod vię a renibus ad veſicam ſunt molles, laxæ, & facilè cedentes, in adultis verò, & ſenibus cum naturales facultates tantum robur non habeant iure à renibus non expurgantur, & eo magis, quod accedit vaſor anguſtia ob quam retinetur ſuccus, exuritur, & concreſcit; vnde Galenus huiuc rei cauſam docens 6. Epid. com. 3. com. 15. dixit: Quandoquidem in pueris omnes naturales actiones validæ cũ ſint, humorum craſſitudo funditur, atq; diſſoluitur, in declinantis autẽ ætatis hominibus cogitur atq; inſpiſſatur, quinctiam in exterioribus quæcumq; natura craſſa per aliqua anguſta transfundere volumus, quæ calore eliquata ſunt facile peruadere, quæ non fuſa, neque eliquata ſunt tranſire non poſſe, cernimus; huius materiæ exempla ſunt pix, reſina, ſeuum, cera, & mel: In pueris itaq; cum multus ſit inſitus calor, & actiones firmæ materię craſſitudo attenuata in renes fertur, atque ideo facile in veſicam percolatur, haud parum & actionum vi ad egreſſus celeritatem conducente, vt puta veſica frigida, quippe, quæ & neruoſa ſit, & pauci ſanguinis, & ampliſſima interius concauitate inanis, craſſitudo in ipſam tranſmiſſa ibi iterum cogitur, &
con-

conſpiſſatur, vt prædiximus, initium huius conſpiſſationis accipiens, quando in veſica diutius commoratur; quin etiam hanc craſſam materiã in pueris tenaciorem eſſe, quoniam magis ab inſito calore elaborata eſt, rationi congruit; nam quęcumq; a calore in concoquendo mutantur, temporis proceſſu lentorem quemdam acquirunt; & ſi ab initio nullum habuerint, quo circa planè magis in vnũ couunt, denſantur, atq; coagmentantur, nam inter æque craſſa, quod tenacius eſt, ad vnionem, ſpiſſitatem, & concretionem aptius habetur.

Adycit lib. de renum aff. dignot. cap. 2. (vbi eaſdem cauſas recenſet, & penè eadem ſcribit verba, puerilium vrinarum craſſitudinis cauſa, quæ certe alia nõ eſt, quam puerorum voracitas, & mouendi exceſſus mox ab alimento ſumpto, dum ſcilicet pueri ferociunt, & ludunt, idem etiam legitur 3. aphor. com. 26. & 3. prognoſt. com. 74. & licet ſit dubitatio an lapis in veſica ſit puerorum frequentior morbus, & in renibus ſit magis familiaris ſenibus; & Alexander fuerit de hac quęſtione perplexus, credẽdum tamen eſt lapidem, qui immediatè efficitur in veſica (dico immediatè, quoniã duplex eſt calculi veſicæ generatio, altera quum primũ fit in renibus, deinde exploſſus in veſicam per accretionem augetur, quem tantum modũ cognouit Fernelius, vnde deceptus fuit, altera quum immediatè in veſica lapis generatur) frequentius in pueris quam in ſenibus gigni, lapidem verò, qui non immediatè fit in veſica, ſed in renibus primò generatur, tunc frequentius in ſenibus reperiri; additur quod eſt languida ex-

pul-

pultrix in vesica puerorum, renũ verò expulsio est mere naturalis, at vesicę motus magis est animalis, vtimur enim ad mingendum masculis abdominis, & præsertim musculo quodam magno, quia à ceruice vesicæ producitur per totum colem, pueris enim facultas animalis debilissima est, atque propterea minori impetu mingunt quam viri; quo fit, vt eorum vesica numquam mingendo perpurgetur, sed semper fiat illis post mictum concretio, hærentibus vrinæ fęcibus iuxta eius osculum, non secus ac concrescere solent sordes, & arenæ in matulis, ac multo magis in vasis angustioris, quum non effunditur liquor magno impetu, sed paulatim, ac languidè, & hæc est causa, cur pueris non fiant vrinæ sabulosæ, & crassæ, in renibus e contra, non ita se res habet, nam a fortissima expultrice expurgantur ab omnibus excrementis; quare non inficiamur, (vt quotidiana experientia etiam docet) quod in senibus non generetur lapis aliquando, licet raro in vesica; sicuti in pueris etiam in renibus: Auicenna (pręter rationes adductas) tres alias proponit lib. 18. fen. 3. tract. 2. c. 12. Eęq; sunt facultatis expultricis robur, vasorum angustia, humorum demum tenuitas, quibus de causis immaginari debemus magis procliues esse inter homines, calidos, crassos, ac in ætate consistentes, & eos præcipue, in quibus arenularum copia produci potest, cum à materia crassa, caloris ignei actione in sabulum conuersa, calculi generentur, crassam diximus & non viscidam, qui vbi hæc concrescit calculum facit, (concrescendi autem causa vera visciditas est) gignuntur etiam ipsę

ali-

aliquando in renibus, aliquando in instrumentis vrinarijs, nec non in vesica, addunt aliqui in venis; ideoque coactis arenulis calculi oriri solent; at cur multi arenas mingant, & tamen non calculosi sint, causa est, quia non coguntur nisi viscido aliquo, & crudo humore tanquam glutine, neq; impedimento est, quod nonnulli dicunt ex calculo arenulas fieri, cum qui in vesica generantur in arenulas aliquando licet raro dissoluantur, nõ enim necesse est quod qui calculosi sunt arenas meiant, cum multi sint inuenti, vt in dissectis probari experimento etiam potest qui neq; arenas excernerent, neq; vrinæ difficultate laborarent, vt inferius res exactius à nobis tractabitur.

Vnde frigida corpora, & fęminæ minus frequenter hoc morbo tentantur; hinc Mauritanorum Princeps loco citato scribebat; neque mulieres facile tentari propter tres causas, tum quia habent vesicæ canalem breuem, tum rectum, tum latum, non autem anfractuosum; cum igitur ab Hippocrate 3. aphor. 26. dicebatur quod pueri peculiariter hoc morbo afficiantur, de masculis intelligenda est sententia aphoristica: aceruantur lactis, casei, vinorum crassorum vsu vt Ferrariæ, aquarum limosarum vt Lutetiæ, alimentorũ crassi succi esu, vbicumq; sit. Habemus igitur causam instrumentalem lapidis, angustiam canalis; materialem crassos humores, pituitosos, tenaces, biliososque, lac etiam nutricis pueris; causam vero efficientem remotã paternam hæreditatem; propinquam calorem, de quo cum sit dubitatio apud Doctissimos Viros, meritò perscru-

ſcrutandum videtur, quis nam ſit calor efficiens generationis lapidis? Mox quis nam morbus ſit? determinabitur.

A QVO CALORE FIAT. Cap. VII.

QVoniam lapidis generatio ſit in pueris,& adultis, in quibus diuerſus calor ſecundum qualitatem reperitur,(alter benignus, leuis, mitiſq; dictus, alter aduentitius, acris, & mordax) ideo peruestigare oportet an ab vtroq; calore, vel ab vno tantum fieri poſſit; Galenus lib. 6. Epidem. 2. com. citato, ſcripſit à calore mediocri fieri, tradens exemplum in ſponte calidis aquis, in quibus &ſi mediocribus tepidiores ſint tophi concreſcens apparent, & in vaſis vbi calefit aqua quotidie lapis concreſcere cernitur; inſuper adeſt ratio, quia pueri lactentes, & non lactentes, citra febrem generant lapides; ergo à calore naturali,& non acquiſito fieri aſſerendum eſt; præterea argumento ſit loci materia in quo generatur, veſica enim frigida, & neruoſa, & pauci ſanguinis eſt,& ideo Galenus lib. cit. addidit, quod non ipſa caliditas præcipue, ſed materia ex qua fit lapis qualitas ipſius compactionis exiſtit: Hac eadem ratione perſuaſi æuo noſtro viri doctiſſimi, & famoſiſſimi quidam, vt Mercurialis,& Augenius, venere in hanc ſententiam, vt à calore naturali omnino calculus fieret: Practici tamen e contra de cauſa efficienti agentes, ſtatuunt penè omnes vnanimes calorem præter naturã cauſam eſſe calculi, ſic Paulus, ſic Aetius, ſic

ſic Alexander, Matthęus de Gradis, & alij ſentire videntur, impulſi forſan auctoritate ſcribentis lib. de renum affect. dignot. cap. 2. & proferentis hæc verba, attamen ne putemus ſolum hoc ſufficiens eſſe ad lapidis generationem niſi calida intemperies eodem accedat, quæ calorem ignitum habeat non temperatum, aut modicum, & quæ ſequntur; nec non ratione poterant perſuaderi, cum à calore aſſante, adurente, conſtipanteq; fieri ſuperius fuerit ſtatutum.

Qua de re ſic reſponderem; in pueris à calore naturali, (cum adhuc aduentitius non adſit) maximo tamẽ & ingenti, in adultis verò ab eorum proprio calore aduentitio fieri putandum eſſe arbitror; at quomodo ab agente naturali, & ſecundum naturam fit effectus præter naturam? Reſpondent aliqui, quod in pueris non ratione agentis fit, ſed patientis, qualitatis videlicet materiæ, vt paulò ſupra dicebamus, & etiam modi agendi. Nos verò dicimus, quod ab agente tunc intemperato naturali fit effectus præter naturã, vel quia non eſt agens pænitus naturale, cum aliqua in re deficiat, vel quia illa caliditas puerorum dum maxima eſt & igneſcens, & ſuperat puerilis caloris gradum, eſt tantæ virtutis, & efficacię, vt aſſare, adurere, & dureſcere humores facillimè poſſit; ideo Gal. 3. aphor. com. 26. aſſerit, quod accedente altera cauſa caloris copia, &c. Non inficiamur tamen pueros ractione cauſæ efficientis, eſſe minus diſpoſitos, at maxime è contra eſſe propenſos ratione cauſæ materialis, vbi enim eſt magna materię aptitudo, exiguę efficientis cauſæ vis eſt ſatis,

atq; ita vbi crassum & lentum est, quod in vrinæ vijs congeritur, solus ille calor est satis ad concretionem, & hac ratione forsitan dubitandi Hippocrates particula vsus fuit, 3. epid. 6. tex. xv. post mictum concretio pueris magis, num quoniam calidiores? vt insinuaret esse quidem aliquatenus causam in calore, non tamen omninò, quod voluit idem etiam significare præstantissimus ille vir in suis epistolis. Vel ad argumentum de calore, & agente naturali respondeatur, quod à solo, & vnico agente non potest fieri effectus præter naturam, at alijs concurrentibus causis præter naturã, non est impossibile, vt de febrili calore euenit; non enim prohibetur, ab agente naturali alieno mixto, & non simplici fieri posse effectus pręter naturam. Vel dicatur cum Benedicto Victorio (qui tacitam affert huius dubij solutionem 2. prognost. com. vlt.) exponente eo loco 26. aph. par. 3. inquit. n. 11. quoniam ob edacitatem, & importunum, atq; exuberantem cibum pueri non paucos humores crudos coaceruant, ex quibus pars crassior vnà cum vrina ad vesicã perueniens, fit materia generationis lapidis, & id propter puerorũ accedentem caliditatem iecinoris, & renum, sanè & hi humores per renes expurgantur, & per ductus vrinarios in vesicam colliguntur, & in ea aliquando calculos progignunt; & quę sequuntur. Vel dicatur quod lapis in vesica fit à calore mediocri, vt Galen. 6. epid. 3. com 15. docebat, quia calor multus, & potens est in pueris, qui humores crassos fundere potest; ideo dum in renibus non gignitur lapis, ad vesicam transmissi, vt

exi-

exiccentur, & condensentur, satis est calor mediocris; non sic autem euenire potest de lapidis generatione in renibus, ac cum vesicę non sit is calor, vt eos vlterius fundere possit, redeunt, atq; si ibi diutius morentur, à calore illius loci licet fundi nequeant; possunt tamen dum resolutis tenuioribus partibus, paulatim exiccantur concrescere in lapidem, ad fundendum enim opus est forti calore: Et hęc sunt, quę in tanta controuersia pro conciliatione inuestigare potuimus; scio tamen breui compendio maximas lites ventillari, & enodari non posse, & eò magis, quod res ista à paucissimis, imò à nullo penè est peracta, & quasi olfacta.

QVIS NAM MORBVS SIT LAPIS. Cap. VIII.

MOrbus iste ab Hippocr. 4. de morbis lithos dictus, à Grecis quibusdam lithiasis, à nostris lapis, seu calculus nominatus, an morbus sit, an potius causa morbi dubitandi ansam præbet; & ratio est, quia videmus aliquando homines quosdam tentari calculo, tamen neq; dolorem, neq; aliud quidpiam sentire, neq; eis causam alicuius symptomatis esse, quare supponatur prius affectum esse præter naturam, & in aliquo horum generum esse reponendum, nempè, aut in genere causę, aut morbi, aut symptomatis; supponatur secundò non esse absurdum in re medica aliquod habere interdum rationem morbi, interdum causæ; calculus in vesica potest habere rationem morbi, & causæ, nam si exiguus vt possit ingressus meatuum ceruicis obstrue-

re, habebit tunc rationem causę, si verò obstruendo erit impedimento excretioni vrinæ, erit morbus in via; potest quoq; esse symptoma cum non lædit, siuè fiat, siuè factus sit, affectus insequens corporis, intemperies præcedit, mox sequitur diuisio, & aliquando morbus in compositione, & dum symptoma constituitur oportet etiam fateri in genere excrementorum esse reponēdum, sed cum symptoma erit, causa non erit, & cum causa, symptoma esse desinit, cum idem possit lędere, & non lædere, causa fit morbi, tum quando retinetur, tum quando propellitur, & violenter, & subitò, & affatim impulsus arte, aut natura, vnitatem soluit, meatus obstruit, magnitudinem naturalem adauget, retentus infarcit cauitates ipsas, & tumorem præter naturam inducit, qua ratione potest etiam dici lapidem esse causam efficientem, & formalem, ideo non est mirum si variç assignatę fuerint ipsius lapidis definitiones, quas omnes recensere in præsentia nolumus, breuitati studentes, eam tantum afferemus, qua meliorem, & magis commodè naturam lapidis explicare fuerimus arbitrati, calculus est corpus durum, excrementosum, toto genere prçter naturam, ex viscidis substantijs à nimio calore in homine procreatum; hinc patere potest, quantum errent aliqui Doctores existimantes lapidem esse obstructionem, calculus enim vrinę canali impactus causa morbi dici debebit, quia obstructionē facit, & obstructio vrinæ suppressionem, est potius igitur causa morbi, quam morbus, & morbum in numero nuncupauit Galenus 6. epidem. sect. 2. com. 4. & 14.

meth.

meth. cap. 18. artisq; medicin. cap. 94. inter morbos cauitatum recenset; non est igitur indecens, vnum, & eumdem morbum, varijs rationibus consideratum, in multis constituere morborum generibus, veluti de exanthematibus dicunt, quæ quatenus cutim reddunt inæqualem sunt morbi asperitatis, quatenus tumores sunt intemperies cum affluxu substantię, & licet sit maxima quæstio apud quosdam subtilissimos Doctores, an morbus in numero, & lapis per consequens sit morbus, an potiùs morbi causa, vt patet legentibus præclarissimum Comitem Montanum lib. 4. de morbis, & Erastum de controuersia inter Fuschium, Fernelium, Vegam, Argenterium, & Galenum ipsum, necnon Gentilem super 1. canon. Auic. fen. 2. dist. cap. 4. nihil tamen refert ad iudicandi, & curandi rationem; Galen. similes quęstiones vanas, & longas, parũ ad artis opera pertinentes semper existimauit. Satis sit quod quatenus est affectus toto genere præter naturam in partibus instrumentalibus tollendus est, at quomodo dignosci possit cum in vesica, aut rene reperiatur, in posteris capitibus examinabitur.

DE SIGNIS LAPIDIS IN RENIBVS.
Cap. IX.

SI cuncta verba (ex Crysippi sententia) dubia esse queunt, dubiamq; sententiam efficere valent, eò magis quæ intus, ac in imò corpore latent, incerta, atq; obscura esse debent; in rebus enim conspicuis, atq; sen-

ſenſui exploratis nullum ſignorum genus eſſe videtur, at in abſconditis, ac per ſe ignotis, ſigna ne dum vtilia, ſed neceſſaria maximè experimur; ſunt enim ſigna (Galeno teſte lib. de finit. medic.) dignotiones quædam, quibus id quod incognitum eſt deprehenditur, ſumuntur enim ex obſeruatione ſigna, veluti ex demonſtratione iudicia, quæ nec fallere, nec incerta eſſe ſolent, at declarare ad vnguem certa ſcientia, rei propriam naturam; his igitur ſignis pathognomonicis perdiſcere laborabimus, cùm lapis in renibus, & veſica reperiatur; ſed primò loco in renibus, & cum ipſius varia eſſe generationis poſſint loca, ideo non ab re fore duximus, ſi cum Galeno de renum anatome quam breuiſſime pauca diſſeruerimus; renes naturæ inſtituto creati sũt vtrinq; à ſpina dorſi, vt ſuperuacaneum quemdam humorem ſeroſum à venis attrahant, qui cum ſit in maxima copia, duos creauit renes, dextrum, & ſiniſtrum; dexter, ſuperiorem locum ſibi vendicauit; ſiniſter, humiliorem, quamuis aliquando reperiatur is variatus ſitus, rarò tamen, ne inter operandum alter trahat, alter retrahat, carne conſtant denſiſſima, quæ membranea tunica obducta perinde eſt, ac cætera viſcera, hac ventri contexta à peritoneo deriuata, per quam peritonei pars nectitur dorſo, atq; cum craſſiore inteſtino connexi mutuo ſunt; at per eamdem tunicam fiunt ſenſus participes, quia neruuli qui ad eos feruntur per eam ſolum diſperguntur, ſenſus enim expers eſt renum caro, ſicut & lienis, & iecinoris; continent renes in medio cauitatem quamdam, qua ex renis, & arterijs ſe-
roſum

rosum excrementum excipiunt, vnde originem ducunt vrinaria vasa, quę vreteres Græci vocant, eadem fere substantia constantes, cum vesica coniunguntur, illiq; inseruntur, cuius membranæ ratione vehementissimi, & acutissimi dolores fiunt; renum autem operatio, & officium est secernere, & percolare serosum excrementum a sanguine venarum, & iecinoris, præsertim ab eius conuexa, & superiori parte, sed sanguinem vna attrahunt (vt 5. de vsu part. cap. 6. docet Galenus) & quod in sangnine vtile est in nutrimentum seruant, quod autem inutile abigunt, & sicut bilis vesica bile delectatur, & lien atræ bilis succo, ita renes excremento isto seroso gaudent; duplex igitur constitui potest locus pro generatione lapidis in renibus, cauitas nempè, & caro, seu renum substantia. Hæc enim intellexisse necessario oportet, vt signa distinctè, & propriè colligere valeamus, & simul modum calculi generationis non ignorare possimus; nam cum renes attrahant ad se serosum, tenuemq; humorem cum sanguine mixtum; quibus meatibus latius patefactis in renum ventriculis percolantibus aliquod etiam ex crassioribus succis illabitur, quod cum calefactum est, in renis cauo ad tophi consistentiam reducitur, & nequeunte expultrice facultate extrudere cũ lotio, arenosæ subsidentiæ quędam gignuntur, & de nouo materia transmissa ad eamdem apponitur, & paulatim augetur, inde rophi magnitudine quadam aucti concrescunt, veluti etiam simili ratione in renum substantia produci possunt, ad proportionem tophorum in articulis genitorum, vt dixit Galenus.

Ex

Ex his ſumitur ratio,cur aliquando dolor in renibus ſentiatur, aliquando verò non; in concauitate ipſorũ, ſeu carne non fit ſenſus, vti etiam in carne cordis, & iecoris, ſed in ſuperficie, cauitas enim grauatur, ideo Hippocr. 6. epidem. pr. renum dolor grauis, ſuperficies verò, cum neruos ſentientes contineat, iure in ipſa cruciatus maximi fiunt, & per conſequens in meatibus vrinæ, vt qui neruoſi ſint, & ſenſibiles, dolor fit ſęuiſſimus, qui cum ſit colico maximè ſimilis diſtinguendus venit per ſigna à Galeno tradita libris de loc. affect. hoc eſt ſimilitudine, & magnitudine vomitus, purgationi colicus non cedit, dolor fixus, & permanens, neq; flatus tranſmittitur, vt in colico, cui pręcipuè euadit huiuſmodi dolor ſimillimus, cum à carne in ſinum trahitur, tum acerrimo dolore ſic affecti cruciantur; ratio ponitur ab auctore lib. de renum affect. dignot. quia eorum cauernulæ non ſunt latæ, ſed anguſtæ,& renes ob firmitatem ſubſtantiæ non diducuntur, vt veſſica; qua ratione contingit etiam, vt renum lapides magna ex parte minores ſint,æquales, & molliores, vt potè qui diuturni non ſunt; additur ad hæc ſtupor cruris, qui à rene ſecundum lumbum porrigitur, & ſi dextrum ſtupor occupabit, dexter ren ęgrotabit, ſin læuum, ſiniſter; cauſa autem eſt, quia lapide in rene genito,afficitur etiam vena,quę ad crura deſcendit, nam vena,quæ ad inferiora dimittitur triplici ramo diuiditur, quorum vnus cum arterijs ad teſticulos vadit, & ad vaſa ſeminalia, alter renes ingreditur, poſtremus ad crura porrigitur, qui cum repleatur neruus ſtringitur,

tur, aut musculus, & fit spirituum obstructio animalium, vnde crus aliquo modo sensu priuatur, & stupor inducitur.

Eàdem ratione aliquando videtur tanquam signum, ab Alexandrino positum, quod vnus ex testiculis retrahitur, quorum si dexter, dextrum pati renem argumento est, si sinister, sinistrum; etenim à iecinore, & corde, vena, & arteria ad renes procedit, quę in eorum cauitatem inseritur, vasa autem seminalia ad testiculos (scribit Auctor lib. de ren. affect. dignot.) feruntur, retrahitur igitur per consensum vena illa, & arteria, quæ ad seminalia vasa pertingit, ad quæ referuntur, & respondent testiculi.

Vomitus etiam accedit, non ratione doloris, aut vigiliarum, (vt multi falsò putarunt) sed propter renum consensum cum ventriculo, positi enim sunt renes, at propter renum consensu cum ventriculo, positi enim sunt renes, secundum spinam post intestina, & ventriculum, in quibus facta distensione violenter digrediente ad ipsa, sequitur subuersio, ex qua vomitus.

Et quoniam cum lapis adest, titillatio quædam oritur, quæ cum stimulet naturam ad expulsionem ratione occursuum spirituum, hinc fit, quod frequenter mingunt, & paulatim adstringitur, & supprimitur vrina, qua aliquando suppressa, & regurgitans, fit alui tumor, singultus, animi deliquium, coma, catahpora, dispnea, & similes affectus.

Vrinæ minguntur aquosæ, quia cum adest obstructio, tanquam per cribrum effluunt, mox arenosę (licet

de re ista aliqua sit dubitatio apud doctissimos viros, vti etiam dubitari contingit, an rubræ semper prodeant) quibus breuiter tamen respondemus, dum fiunt lapides necessarium est arenulas excerni, at dum facti, haud necesse est, quia iam in lapidem sunt coactæ, nisi forsitan natura, vel ars lapides conterens, atq; disrumpens, in arenulas conuersos eijciat, ac foras expellat; an verò rubræ excernantur, clarum est quod vt plurimum tales appareant, sed aliquando etiam albæ ratione materiæ in qua lapides conuertuntur, & sunt conuersi, facit quoq; ad arenularum coloris diuersitatem calor aduentitius, necnon retentio per longum, aut breue interuallum.

Addunt etiam ad signorum syndromen aliqui practicantes sane non ignobiles, lotium sanguinolentum, quod sumunt ab auctore lib. de renum aff. dignot. cap. 3. & 2. de loc. affect. cap. 5. sed quia hoc non debet inter pathognomonica signa comprehendi, cum semper id non appareat cuicumq; simili affectu laboranti, ideo debemus limitare, atq; tantorum virorum glossare sententiam. Arbitror enim, quod dum lapis de loco ad locum mouetur, & defertur, (ob vis expultricis robur) tunc sanguis propter violentiam quamdam excernatur, & ob solutionem continui, & inde dolores acutissimi fiant, ac sæuiora producantur symptomata, erit igitur signum vrina sanguinolenta, cum lapis erit in motu, & erit quando vel augebitur, vel perforabit, vel locum per consequens mutabit, & id est quod fortassis significare voluit lucidissimus Galen. 2. de loc. affect. cap. 5.

cap.5.apponēs particulam cum maxima pręmeditatione, dicens interdum vna cum cruore excernitur, &c. loquebatur enim de ſignis lapidis renum,de quibus ſignis lapidem indicantibus, & diagnoſticis, ſatis verba feciſſe putamus; at de prognoſticis vllum ſane verbum facimus in pręſenti, quia &ſi dolores aliquando præſagiri poſſint,& vrinę, & inteſtinorum difficultates,febres, vigiliæ, ſitim, & ſimiles mali affectus ad necem potius tendentes, tamen cum horum aliqui, imo pleriq; parui ponderis ſint, in relatione ad ſæuiſſimum illum, & tanquam tyrannum affectum lapideum,iure cętera euentura perſcrutari minime debemus, & præſertim, quia nimis in longum protraheretur ſermo.

DE SIGNIS LAPIDIS IN VESICA. Cap. X.

MAgnus profecto eſt renum affectus, ſed maximũ proculdubio illum veſicæ eſſe,ratione,& experimento comprobatur,quoniam ex ſolida,denſa,duraq; ſubſtantia, exangui tamen, & quaſi neruea, ipſam natura confecit, tùm vt diſtendi cum repletur facilius poſſit, tum verò vt ab acribus, & mordacibus excrementis, quæ frequentes ad eam confluunt non erodatur, intertexta verò triplici fibrarum genere eſt, vt & vndiq; contrahi, & exquiſitè complecti vrinam poſſit, & hæc eſt ratio, qua patere poteſt, quòd veſica inciſa amplius coaleſcere, & conſolidari non poſſit, eſt enim exanguis, & neruea; at bene verum eſt, quòd ceruix veſicæ totum peritoneum occupans, ſi incidatur, con-

ſolidatur, vt experientia patet, cum incidatur ille locus, vt inde aliquando lapis extrahatur, qui vt magis eo loco elucescat, conſiderandum venit, quale nam ſit veſicæ officium, quod cum ſit admittere, & recipere ſeroſum excrementum, quod à renibus attrahitur, colligit ſemetipſam veſica per multiplices ſuas fibras, & potiſſimum obliquas, ac vndiq; vrinam comprehendit, vt nullum interius in veſica ſpatium inane relinquatur, ſi enim relinqueretur, cum moueretur animal vrina fluitaret tanquam in vtre non pleno, vbi aqua fuerit repoſita, & quia natura maxime ſagax, & prudens eſt, ideo ob maximam cõmoditatem, muſculum ceruici veſicæ circulariter ferentem indidit, vt & extremo inteſtino recto, ano inquam, qui vt ſimilis eſt ani muſculo, ita & officium idem præſtare debet, & id quoq; eſt in cauſa, cur veſicæ calculo laborantes, flectere ſemetipſos aliquando nequeunt; neq; obliquos ſupra lignum ambulare, aut moueri; corpus autem veſicæ exiguo admodum neruo eſt donatum, ceruix è contra inſigniores habet, & per conſequens maximo ſenſu eſt illa pars prędita; qua de re ex vrinæ qualitate tanquam actione lęſa dignoſcetur lapis in renibus, & veſica, nam guttatim mingunt, atq; mingere, aut mictum retinere non valent, & ſi mingunt, cum dolore, & gemitu mingunt, pręcipue cum in ea parte lapis reperitur, vbi poſſit obſtruendo vrinę emiſſionem impedire, calculus enim aut reperitur in corpore veſicę, & in eius anteriori ſpatio, & tunc non adeſt dolor, at grauitas tantum, ſi magnus erit lapis, aut in ceruice factus eſt, & inuenitur,

tur, cuius partis affectę signa enumerata iam sunt, adsunt præter hæc, inflammatio illarum partium, pruritus, dolor in pectine cum pondere, & peritoneo inter anum, & testes, ac in radice pudendi; sed inter signa potissima ponitur perceptio ex cathatere, aut siringa immissa in vesica.

Vrinę sunt principio subtiles, quia quod crassum est in lapideam materiam concrescit, mox crassę redduntur ex pituita crassa, quod doctissimus Ludouicus Mercatus tanquam signum firmissimum esse asseruit, lib. 2. indicationum, tale enim est alimentum quo lapis concrescit, id verò quod excernitur reliquum est.

Addunt aliqui vti signum demonstratiuum, vrinas arenulosas ab Hippoc. scriptum lib. 4. aphor. 79. nec non à Gal. lib. 1. de loc. affect. cap. 7. vnde Galen. exponens locum illum aphorismi non modo significare posse dixit calculum vesicę, sed etiam renum, experiētia tamen oppositum docet, & sensus ipse, qui inspicit multos laborare arenulis, & sabulo, non autem calculo; ideo sic respondendum putarem, lapis, aut factus, aut facturus est, (vt superiori capite quoq; innuebamus) si futurus, arenulæ ex lapidis substantia fluentes illum necessario iam iam adesse significant, si factus non amplius fluunt, cui solutioni aduersari mihi videtur opinio quędam recentioris cuiusdam Doctissimi Viri lib. 12. suarum epistolarum; at ego sic exponerem aphorismum illum, quibus videlicet in vrina subsident quasi sabulosa ijs vesica calculo laborat; nam exeunt hęc similia arenulis, propter abrasionem in eo factam à lapide

de abstergente, & abradente, cum sit lapis asper, & magnus, vnde accidit excoriatio; vel dicatur, & melius, quod arenulæ cum sint materiæ lapidis, indicant lapides in potentia esse futuros, quasi volens Hippocrates ostendere causam præexistentem materialem lapidis, vt doceat tandem, quod ex his lapides confici, & produci debent, & de signis hactenus. Ad curationem modo descendamus.

DE CVRATIONE LAPIDIS IN GENERE. Cap. XI.

QVemadmodum duo sunt summa rerum omnium genera, bonum, & malum, ita duæ sunt primæ, & generales indicationes Gal. test. 9. meth. cap. 12. & 14. custodia scilicet, & ablatio, vna quidem boni, altera verò mali, quarum vtraq; indicat quid agendum sit; ideo Hippocrates cum dixerit lib. de flatibus medicinam esse adiectionem, & oblationem, hoc idem forsitan significare voluit, curationem videlicet totam in quarumdam rerum conseruatione, & quorumdam detractione consistere; seruanda quidem omnia quæ secundum naturam, auferenda quæ præter naturam sunt, eorum verò quæ non naturalia tantum vocantur, indifferens, seu ambiguum esse genus. Ad curatiuam igitur partem accedentes de qua tamquam de fine, imò medio, & principio sermonem sumus habituri, dixit enim Hippocrates lib. de decenti ornatu, sint & in memoria tibi morborum curationes, & harum modi quotupliciter, & quomodo sin-

ſinguli ſe habent, hoc enim principium eſt in medicina, medium, & finis, & licet ſit ordine methodus curatiua poſtrema, fine tamen, & effectu, & obiecto, & principio mouente eſt prima, & omnium aliarum partium finis, & inter cæteras maxime vtilis,& neceſſaria, quę poſtrema pars, ordine tantum, &ſi ardua, atq; difficilis ſit,exactè ipſam habere optamus,indicationibus nihilominus cum latè perſpectis redditur facilior, atq; notior, quæ indicationes vario modo ſumi debent, veluti varia eſt frangendi lapidem ratio. Poſtquam igitur medicus ex proprijs ſignis lapidem adeſſe perſpexerit cum morbus in magnitudine ſit, indicabit expulſionē, quæ fieri poteſt, aut arte, aut natura, qua exiſtente forti, multoties lapides excerni ſua ſponte videmus, ſi arte, vel medicamentis quæ aut exterere lapidem, diminuere, in minimaſq; partes calculum deducere poterunt, aut penitus expellere, naturam ipſam expultricem irritando. Hoc enim præſtare medicamenta poterunt, quæ calida, & tenui ſubſtantia prædita ſunt, vti ſunt amara omnia, tum quæ propria ſubſtantia agunt; aut ſectione expelletur,quam indicat lapidis magnitudo, & locus, magnitudo cum non poſſit pertranſire per meatus vrinarios, locus, quia cum in veſica reperiatur, vel ibi tranſmiſſus, vel genitus, non eandem ſeruandam methodum indicat, quę in calculoſis renibus ſeruanda videtur, imo ſepius ad ſectionem, & pręcipue tutò in pueris, deueniendum.

Præterea validiora debent eſſe veſicæ remedia, tum ob nimiam diſtantiam, tùm ob frigidum ipſius tempera-

ra-

ramentum, quæ medicamentis maximè resistere queunt. Possunt tamen per syphonem vrinarum in vesicam imitti auxilia, præclarissima ægrotorum commoditate, quod renibus calculosis euenire non potest; variare etiam curatiuam methodũ valent corporis affecti ętas, symptoma superueniens, vt dolor, febris, & similia; at potissimum diuersa genera medicamentorum indicant lapidis status, & qualitatem, hoc est an in principio sit, an plurimum induratus, an asper, an lenis. Tamen satis sit pro nunc intelligere, quod prima indicatio lapidis erit fractio, & diminutio, secunda verò expulsio, sed quibus medicamẽtis hæc pręstare possimus, sequentibus capitibus declarabimus, ad particularia magis accedentes, in presenti enim capite dogmatice, & rationabiliter rem ipsam agere voluimus, & cõmunes indicationes dicere, in posterum empirice tractabimus, & in præseruatiua parte deinceps magis distinctè de cæteris indicationibus curatiuis, hoc est morbum inhibentibus à nobis agetur.

DE EXTRACTIONE LAPIDIS ABSQVE INCISIONE secundum morem Ægyptiorum. Cap. XII.

CVm sectio fiat per quosdam priuatos Chirurgos, qui huic rei operam particulatim nauare solent, de huiusmodi modo vsitato incidendi nullum verbum faciam, hoc tantũ dictum velim, quod ea operatio magna est, ac difficilis, & non sine maximo periculo, non modo quia ardua, & crudelissima sit, (vt ità dicam) sed etiam

etiam quia ab hominibus duris, & inhumanis exercetur, & absq; vlla methodo & via curationem adhibentibus; sed quia multis persuasum est in Ægypto medicinam primas habuisse radices, plurimosque illustres viros, tum in medicina, tum in alijs scientijs, olim ibi floruisse, vnde Homerus Odissea 8.

Fertilis Ægyptus rerum medicamina mista
Optima multa, simul deterrima plurima profert, &c.

Imo legitur in multis Ægypti locis, plurimas reperiri mulieres, quæ artem medicam exercent, sed absq; aliqua ratione, & ex omnibus scientijs quæ in Cayri lyceo, Gemelhazar dicto, docentur, ea sola pars scientiæ apud ipsos colitur, quæ pseudoprophetæ Mahometis leges pertractat; cum multa igitur empirice, (vt vnde digressi fuimus redeamus) subtiliter quidem, tanquam medendi auxilia secreta, reperiantur potius hæreditate relicta, idcirco modum lapidem extrahendi è vesica (aliundè enim extrahi minime potest) secundum Ægyptiorum morem breuiter docebimus.

Extrahunt lapides è vesica (referente Prospero Alpino de medicina Ægyptiorum lib. 4 cap. 14.) colem in primis vento replentes, atq; cum eo os etiam vesicæ dilatantes, atq; laxantes, vt per os vesicę lapis facile meare possit, colisq; dilatatum, & ampliatum meatum, ex quo lapides ipsos vento subreptos foras extrahunt, ipso continuò toto violenter euocato; neque videatur impossibile dilatari tantum posse, vt magni lapides ex ore vesicæ, & colis meatu exire possint, quoniam neruosa, & pelliculosa substantia meatus illi cō-

ſtant,ſed admirandum magis exiſtimare debemus vteri os in mulieribus neruoſum, atq; ita anguſtum, tempore partus tantũ ampliari, vt fœtus per ipſum exeat.

Narrat idem Auctor, quod arabs quidam Hali vocatus, lapides ſine inciſione multos perfectè extrahebat, accipiebat enim ligneam cannulam longitudine octo digitorum, & latitudine pollicis digiti, & iſtam colis canali admouebat, fortiterq; inſufflabat, ac ne flatus ad interiora perueniret altera manu extremum pudendi perſtringebat, foramen deinde cannulæ claudebat, vt virga canalis intumeſceret, & latior fieret, ac per conſequens appareret, quo facto, miniſter digito in anum immiſſo lapidem paulatim ad virgæ canalem, atq; in eius extremum deducebat, qui vbi lapidẽ preputio appropinquaſſe ſentiebat, cannulam à virgę canali fortiter, ac maximo impetu amouebat, vt magna deſteritate, lapis ad nuclei magnitudinem fuerit extractus.

Refert quoque alium modum ſibi à quodam medico ſcriptum Octauio Rouereto nuncupato, modus eſt huiuſmodi plures aſſumunt cannulas longitudine inæquales, alteram altera maiorem, in modum muſici inſtrumenti quod ſyringa dicitur, ſubſtantia cartilaginea conſtantes, quę facilè dilatatur, harumq; graciliorem in colem intromittunt, figuntq; quouſq; ad veſicam peruenerit, & mox in ore inſufflando, ipſam inflãt quantum fieri poteſt, poſteaq; hac maiorem, vel craſſiorẽ introducunt, inſufflandoq; inflant eodem modo, & poſt tertiam, vel etiam quartam omnium maximam, &

cum

cum ita ijs virgam dilatauerint vt putent viam canalis sufficienter fuisse dilatatam, per eamq; lapidem exire posse, ægroto in primis collocato satis commodè, digitoq; in ano posito, lapidem ad collum vesicæ, vbi maioris cannulæ extremitas peruenit, deducunt, atq; in cannulam lapidem ducere nituntur, quo facto altero cannulæ meatu ore excepto, conantur, spiritum ad se trahendo, lapidem simul trahere, qui si nimis crassus sit, sæpè rumpitur, atque in frusta atteritur. Quibus experimentis credendo, aliquo modo consentaneum videtur, & si è contrà ratio persuadeat, & iudicium; ipse tamen tanquam noua quædam proponere constitui ad delectandum potius quam iuuandum. Satis tamen fuit hæc nouisse. Ad reliqua iam proposita accedamus.

QVIBVS MEDICAMENTIS CVRANDVS sit Lapis. Cap. XIII.

FAlluntur sanè Medici illi, qui eodem medicamento vnumquemq; lapidem excernere, & frangere posse arbitrantur, & indistinctè hoc, aut illo medicamentorum genere vti volunt, quoniam vnumquodq; diuersam ab alio, & sibi propriam frangendi habet rationem, & suo tempore vtilem; primo enim fas est subtiliter perscrutari, an paruo, aut nullo glutine penitus sit lapis confectus, quia eo tempore (vt 9. de medicam. secundum loc. cap. 1. confirmatur) calidiora tantum medicamenta sunt idonea, satis est enim, vt habeant vim renes, & vesicam expurgandi, vt Nicotiana her-

ba calidiſſima ab indis Tabaco dicta, cuius pulueris drammam mediam cum vino, aut aqua fęniculi, aut saxifragiæ conducere teſtatur Mercatus lib. 2. iudicationum, ipſe autem cum expertus non fuerim, neque à Monardes deſcriptam huiuſmodi virtutem legerim, quid conſtituendum ſit adhuc non decerno; laudat tamen medicus ille Siuilienſis lib. 1. cap. 13. lapidem quemdam quem appellat la pietra del fianco, necnon cap. 14. lignum quoddam pro nephriticis maxime extollit, laudat etiam Mercatus loco citato Cardui genus Calcitrapa dictum, cuius liquoris manè vnciæ ij. ſumuntur, idem etiam præſtant ſemina, & flores eiuſdem, & etiam ad prouocandum vomitum, & ſeceſſum maximè idoneum eſſe ferunt; huius facultatis tandem ea erunt omnia medicamenta quæ diuretica dicuntur, & quæ magis in ſecundo gradu reperiuntur diureticorum, multum vrinam prouocantium, quę qua methodo, & ordine ſeruanda, proprio capite explicabitur, & in vnico cuncta medicamenta colligere pro viribus conabimur.

At ſi iam induratus fuerit lapis, ea medicamenta erunt neceſſaria, quæ dum tenuiſſima ſubſtantia prædita erunt, cum multa aciditate, & humore, at calore moderata lapidem frangendi vim obtinebunt; neceſſe eſt enim, vt frangere queant, partes duras maxime penetrent, quam vim ab acrimonia habebunt, cuius etiã ratione potentiam incidendi obtinebunt, & quia oportet madefacere, & emollire, iure talia medicamenta copioſo humore indigent, & ne fiat maior concretio,

cretio, calor moderatus requiritur, in quo genere multa reponuntur medicamenta, vt oxalis, ſuccus limonũ, radix rubi, graminis, cannarum, rumicis, bettonica, adiantum, aſplenum, ſemen smirnij, maluæ syluestris, lacrima vitis, blitum, vrtica, nuclei ceraſorum, perſicorum, amigdalæ amaræ, & ſimiles fructus & folia.

Alia ſunt medicamenta, quæ dum abſtergunt, atteruntque tantum ſuperficiem, impropriè dicuntur lapides incidere, huius generis ſunt vitrum contritum & vſtum vt ſcripſit Falloppius lib. de metallis cap. 11. prope finem, lapis ſpongiæ, lapis lyncis, cinis leporis combuſti, cinis corticum ouorum, lapis veſicæ hominis, aut ſuis, lapis gallorum, veſicæ fellis bouis, cornu cerui, quæ medicamenta cum impropriè inciſiua dicantur, non multum à me laudantur.

Alia reperiuntur, quæ occulta proprietate operantur, vt lapis iudaicus, cinis caudæ tremulæ, ſanguis hirci, lapis hepatis apri, de quibus omnibus in enumerationis ſimplicium medicamentorum capite ſufficienter agenus. Pateat tandem quod medicamenta maxime calida, & ſicca conuenire nõ poſſunt, ſed temperatè calida & ſicca, vnde lignum guaiacum, & ſi diureticum ſit, tamen ijs rationibus ſuperius tactis non conuenit, niſi in præſeruatione tantum, de qua etiam cumulatè ſermonem facere, deſideramus.

MEDICAMENTA DIVRETICA AN CONVENIANT. Cap. XIV.

MEdici quamplurimi memoriȩ mandarunt, quod diureticis medicamentis, id est vrinam prouocantibus, in hoc affectu tutò vti valemus, imo audebant ipsa, cum purgantibus medicamentis commiscere, rationi tamen opponi videtur, cum vrinam cientia vehementer attenuando, meatus reserando, fundendo, (hęc enim sunt horum medicamentorum dotes ex Gal. 5. simpl.med. facult.cap. 14.) serosum sanguinem segregando, crassos humores incidendo, ad partem affectam humores trahant. Ideo cum non repellantur materiæ, nec in contrarium ducantur, idonea,& auxiliantia medicamenta esse asserere non possumus; est enim auctoritas Hippoc. 1. epid. 2. aph. 50. medicos ad momentis, te, inquit ad hoc exerceto, morbis vt prosis, aut ne quid noceas; soluerem hanc difficultatem hoc pacto.

Nam vel corpus supponitur optimè esse purgatum, vel non; si purgatum, ab alienisque humoribus liberum esse credamus, nil dubium, quod tutissimè, his diureticis medicamentis vti debemus, sin minus, nequaquam; tunc enim sequeretur id incõmodum quod dicebatur; sunt igitur medicamenta diuretica in hoc casu adhibenda, quando corpus optimè expurgatum fuerit, intelligitur, quo ad prestari potest & medicamentis purgantibus, & idonea victus ratione.

At

At non ſunt omnia diuretica laudabilia, ſed ea tantum, quæ in caliditate, & ſiccitate temperata ſunt, ea enim quę maximam habent caliditatem ſiccitate coniunctam multo magis indurant materiam, quam induratam confrangant, ideo Gal. ſcripſit lib. de medicamentis, at quę renes expurgant, & ipſa quidem incidentia ſunt, verum larga humiditate non indigent, porrò quę calculoſas, ſeu tophaceas conſiſtentias incidere ſunt idonea, & ipſa vtraq; admodum incidunt, ſed minimum caloris poſſident, quippe caliditas callum porrumque ipſum contrahit ac procreat, non incidit, atq; diuidit; at quæ minus calida ſunt, cum hoc quod incidere valeant, meliora quoq; ſunt; & Ægineta ipſum imitatus ſic ſcripſit: Cæterum in renibus, quę calculos comminuunt, atterunt, incidunt q; vtendum medicamentis eſt, neq; tamen immodice, & excellenter calorificis, cui opinioni ſubſcripſit etiam ſemet Auicenna.

Addunt aliqui moderni ſubtiliſſimi ſanè ingenij, quod ſuſpecta diuretica eſſe non poſſunt, dummodo fractioni opera detur, nam & ſi non frangant, fractos tamen educunt, habent vim pharmaca deducendi ad renes, & veſicam; qua de re non poſſunt verè componi medicamenta lapidem frangentia, niſi diureticis ſint admixta, ideo Galenus neceſſitatem hanc explicans, hęc ſcribendo animaduerti voluit, at quia fieri nequit, vt hæc cęleriter ad renum loca perueniant, ideo ipſa medicamenta quæ ad vrinam ciendam ſunt idonea admiſcemus; quę autem medicamenta pro fra-

ctione

ctione lapidis idonea, ac præstantiora sint, in futuro capite docebimus.

DE MEDICAMENTIS LAPIDEM FRANGENTIBVS. Cap. XV.

PHarmaciȩ illa pars, quȩ componendi medicamenta modum docet in dies magis incrementum accipit, & nouis doctorum hominum experimentis, & aduentu ex Indijs rerum, & plantarum (quæ tanquam admirabilia celebrantur, à nostratibusq; æstimantur) maxime locupletatur. Quare admirandum non est, si multa proponantur à medicis nostris antiquis, & recentibus medicamenta nobilissima, atq; talia, quæ in casu nostro maximam habent prȩrogatiuã,& tanquam cȩlestia, ac penè diuina à multis extolluntur, medicamentum enim rectè administratum manus Dei est,corpusq; humanum primariò agendo, & vincendo iuuat, dixi rectè administratum, vt significarem, quod non sufficit medico virtutem cognoscere medicamenti,sed opus est magis intelligere modum vtendi, componendi, & quantitatem; iure igitur prius scribemus medicamentorum formulas quasdam magis egregias, ac validas,mox supremorum medicamentorũ simplicium catalogum ex principibus Auctoribus collectum, ac breuissimum sanè, componemus.

Andromachi antidotus (referente Aetio lib. 11. cap. 13.) ad calculosos, quæ paulatim confringit, & lapides extrudit, donec vesicam perpurget, & perlucidum

cidum lotium procedat, & quod maximum est ita persanat, vt nec in posterum gignantur, hac forma est descriptus.

R. Seminim dauci, anisi, cucumeris decorticati, appij, petroselini, myrrhæ, cuiuslibet dr. 5. casiæ, cinnamomi, nardi celticæ an. dr. 1. trita aqua subigito, & ad paruorum lupinorum formam redigito, ieiunis quotidiè per. 30. dies cum aquæ ciathis tribus exhibeto, mox ad hoc pharmacum accedendum.

Matthiolus in 2. Dioscor. tanquam magnus obseruator, laudat quòd exenterato lepore, intestinorum loco, saxifragia, millium solis, lapis iudaicus, lincis, & spongiæ, pentafilon, & virga addantur, ac in nouo fictili comburantur, factoq; puluere, sanare profitebatur omnes, sed aliqui obseruarunt, maiorem vim habere solam pellem in tenuissimum pollinem redactam, dosim ad summum esse dr. 2. 5. cum 5. decocti cuiuspiam diurectici, vt capilli veneris, cetrach, politrici, & agrimoniæ.

Laudatur quamplurimum inter composita medicamenta id quod à Rasi 9. Almas. cap. 12. & 14. scribitur, & est. R. Carpobalsami, seminis raphani, olusatri, corticis radicis oppopanaci, corticum radic. capparis, amigdalorum amararum, baccarum lauri, cyperi, spicæ indicæ, casiæ ligneæ, cetrach, seminis rutę, gentianæ, aristolochię rotunde, assari, cordumeni, armoniaci, serapini, bdellij, piperis, acori, an. partes æquales, dissolutis gummis sufficienti olio abietino, malassentur, & ex eo alię species aspergantur, ex qui-

H bus

bus informentur pillulæ, & sumatur exeis. dr. 1. cum apozemate de seminibus, quod medicamentum Frisimelica tanquam secretum obtinebat, non modo pro huiusmodi affectu, sed etiam pro colicis, & hydropicis. Addunt aliqui huic medicamento vt sit magis singulare remedium, sanguinis hircini dr. ij.

Aliud extollitur à veteribus, quod electuarium de cineribus nuncupatur. R. Cinerum vitri, scorpionum, radicum brassicæ, leporis, lapidis spongiæ, sanguinis hyrci præparati, putaminum ouorum ex quibus pulli egressi fuerint, gummi iuglandis, acori an. part. æquales, petrosilini, dauci, pulegij, gummi arabici, sem. alteæ, piperi nigri an. p. 1. 5. conficiantur cum melle, & exhibeantur, dosis erit dr. 2. cum dim. cum decocto cicerum nigrorum.

Proponit tanquam expertum medicamentum Modernus quidam lib. 4. epistolarum, in summo discrimine, hoc videlicet. R. Aquæ vitæ dr. 5. iuris cicerum rubrorum dr. 5. mille pedum dr. 5. quorum preparatio docetur ab eodem lib. 9. tom. 2.

Probatur etiam illud quod Arabes electuarium Saluatoris vocant, & est. R. Cicadarum, abiectis pedibus, & alis, vstarum, seminis saxifragiæ, pentafili, ossium cerasorum, mespilorum an. dr. 1. prunorum gummi dr. 1. 5. cum melle quantum sufficit, fiat electuariũ, cuius dr. 2. singulo mane exhiberi possunt.

Vtuntur etiam hoc puluere. R. Cantaridarum preparatarum gr. 10. cicadarum preparatarum gr. 13. cineris leporis, auis troglodytidis an. dr. 1. garioffilorum,

rum, piperis albi, seminis saxifragiæ, fiant throcisci, quorum exhiberi possunt dr. 2. superbibendo ius ciceris rubri, aut vinum.

At non amplius laborabo in enumeratione medicamentorum, quia omnes Doctores practici suum volũt componere medicamentum, quod & si quamplurimum à proprijs extollatur, tamen dum experitur virtus sępius euanescit: Quare idem affirmare audebo, quod Doctor Eccellentissimus Trincauel. lib. 10. c. 9. in hoc negocio scripsit: Ego vero, inquit ipse, si velim ingenuè verum fateri, per xl. annos autem medicinæ exercui in numerosissima ciuitate, nunquam tamen aut vidi, aut ab intelligente, & probatæ fidei viro audiui, fuisse lapidem in vesica vi madicamentorum attritum, aut comminutum, quando iam indurerit, & ad aliquam alicuius momenti magnitudinem deuenerit; legimus quidem in libris medicorum, tum antiquorum, tum recentium multa descripta medicamenta, tam simplicia, quam composita, quæ tamquam potentia lapidem vesicæ frangere laudantur, sed de ijs illud posse dici mihi videtur quod à Gal. 4. de composition. medicam. cap. 4. dictum fuit. *Quę ad suffusionis oculorum ab antiquis descripta reperiuntur literis tradita legimus, nempè quod medicamenta illa si illis attenderimus quæ de ipsis literis prodidere auctores, multa, & magna pollicentur, sed si ad effectus respiciamus, vel nihil eorum quæ promiserunt, vel exiguum admodum præstant*; imo hoc ego obseruaui quod illi sępe, qui putarunt se curaturos hos affectus medicamentis, & vsi sunt illis, quæ valenter lotia ciere pos-

ſunt, tum calefaciendo, tum etiam omnia, excrementa, præſertim quæ acriora ſunt, ſicut ſeroſa, & ichoroſa conuertendo ad vias vrinę, ea adeo acria & mordacia reddidere, vt tantum ardorem, & eos concitauerint dolores, quos deinde febris conſecuta eſt, vt hominem interemerint. Quamobrem non laudare non poſſum ea medicamenta quæ tutò expurgare renes ad ipſos tendentia queunt, vndè inter aquas thermales Ficuncellæ aquæ, Sancti Caſſiani balnei potus maximè extollitur, necnon Porretanæ dictę Villenſis, & Aquariæ, multa etiam adinuenit Galenus medicamenta, vt in libris ſpurijs legere poſſumus, & precipuè Theriacam maximè laudat, cõfectionem etiam quamdam deſcripſit 10. lib. de comp. medicam. ſecund. loc. cui loco me remitto.

De inſeſſionibus, & fomentis aliquem ſermonem breuiſſimum tamen habebimus, ne ſicco, vt aiunt, pede, rem iſtam pertranſeamus; hæc enim adhibentur, ad dilatandas vias, quod duplici ingenio præſtarę valemus, vel euacuando partes, quæ dictos locos affectos comprimunt, vel ſubſtantiam ipſorum emolliendo, quæ euacuant partes ſuperpoſitas renibus, & vreteribus ſunt vomitus, ſanguinis miſſio, & clyſteres, intera quos præcipuè laudantur parati ex oleo amigdalarum dulcium, & butyro.

Inter balnea artificialia ad leniendum iſtud maximè eſt in vſu.

R. Florum Camomillę, Meliloti, Maluarum, Anethi, Branchæ vrſinæ, Biti, Alteæ, Furfuris an. p. 2. poſ-

ſunt

ſunt addi ad frangendum, vt modernus Doctor hortatum folia Agni caſti, Capillus veneris, radic. Brioniæ, Roſæ rubeæ, ſiuè Absynthium, & ſimilia.

Balneum oliuarum dulcium ſimiliter maximè laudatur, cum temperati caloris ſit, & vehementer demulceat, fomenta etiam prodeſſe poſſunt ex decocto fæni greci, maluę, meliloti, & Alteæ, in quo ſpongiæ madefiant, & applicentur.

Præſtantiſſimum quoq; experimur ſimile vnguentum poſt balnea, & fomenta.

R. Olei de spica, Camomilla, Aneto an. dr. 6. de Scorpionibus dr. 4. Picis, Ammoniaci, Bdellij, in aceto diſſolutorum an.dr.5. Olibani dr.3. Euphorbij dr.1. ſed animaduertendum eſt, medicamenta cum morbus rebellis ſit, & vt Areteus lib.2.de diutur. paſſion. cap. 4. ſcripſit, omnem ſcilicet calculum grauem, & curatu difficilè eſſe; ideo non breui temporis interuallo prodeſſe queunt & ſpatio ſaltem l. vel lx. dierum.

DE SIMPLICIBVS MEDICAMENTIS AD LAPIDEM frangendum. Cap. XVI.

ETſi ſimplicia, ordine naturę compoſita præcedere debeant, ordine tamen perfectionis, & vtilitatis poſtponenda eſse videntur, vtiliora enim, & efficaciora compoſita eſſe arbitror, & vim habere maiorem penetrandi, ac frangendi, in medium tamen referam, vt ex ſimplicibus aliquibus, compoſita condere medicamenta queamus, quæ &ſi numero infinita

esse videantur nihilominus ad quemdam epilogum compendiosè, ac penè aphoristicè reducere canabor, & quæ præcipua magis ac laudata & paratu facilia fore intelligam, & hæc sunt.

Guttas aliquot olei vitrioli quidam propinant cum aqua saxifragiæ, vel raphani, vt Gesnerus, & Benedictus Victorius Fauentinus testantur.

Abietis lachrima pota renum calculos eijcit & arenulas, vt Dioscorides, & Matthiolus fidelissimus eius interpres testantur, vti etiam adianti decoctum.

Quintus Apollinaris in libello Germanico laudat abrotani semen commixtum cum pipere & vino albo, seu cum apio & saccaro, & millefolium quoq; si ex aceto bibatur.

Adamus Lonicerus, Gesnerus, Quintus Apollinaris, Georgius Pictorius laudant alchachengi grana comesta, aut potam eorum aquam stillatitiam.

Hollerius Sterapanus aquam argentinæ.

Artemisia calculos comminuit Dioscorides scripsit.

Est androsacæ herba, quæ in ciuitate veteri nascitur quam conuenientem esse, & laudabilem putandum, veluti etiam eamdem habere facultatem Cardum Sancte Mariæ dictum opinamur.

Dioscorides sicuti, etiam Amatus Lusitanus, Donatus ab Altomari, Adamus Lonicerus extollunt maximè Asplenum.

Hispani quidam vtuntur Veronica, cum cauda equina, & dauco in vino hispano decocta.

Optima

Optima esse affirmant Scriptores quidam medicamenta ista, radix 5. dr. verbenę, flos squinanthi, sisimbrij epotus ad dr. 2.

Antonij Fumanelli sententià resinæ cunctæ sunt idoneę.

Alexander Petronius raphani radices cętera antecedere existimauit, propinabat enim in hunc modum. R. raphani acerrimi corticum vnc. 1. ossium mespilorum dr. 2. blandè conquassata, macerentur horis 8. in vnc. 4. vini albi, deinde percolata, & modice calentia propinentur in ingressu, & egressu lecti, itereturque potio si opus erit, dosim eius augendo, vel minuendo pro corporum, & ętatum temperie.

Refert Matthiolus, vir ab omnibus laudatis viris maximè laudatus, quod aqua stillatitia Poligoni comodè propinatur ad calculum, veluti etiam porri semen, & Pimpinella condita, sed idem Auctor summopere extollit eodem lib. cap. 10. lapidis puluerem reperti in capite Gammari piscis dicti.

Laudantur quoque satis Iuniperi fructus, lapathy acuti decoctum, semen Hipperici ex vino epotum.

Imperatoriæ radix, semen, & folia in vino decocta; herba Paralysis, Dictami albi radix, ad dr. 2. epota cum vino maluatico, cucumeris erratici aqua stillatitia.

Corally rasura bibita scribitur à Dioscoride, quod arenulas mingentibus prodest, nec non cardui benedicti folia in vino cocta, & iniectione, dicit Dioscoridis, quod centauri maioris succus, quem sirium vocant, maximè prodest.

Gallus

Gallus quidam Regius medicus dabat pulucrem ossium crurum leporis.

Alter propinabat puluerem ex renibus adustis.

Cinis vitri combusti ab omnibus Mauritanis, & à quibusdam Græcis etiam admittitur.

Succus limonum potissimum acida, acri, tenuissimaque substantia in pituitosi excrementi copia, obesoque corpore satis extollitur, atq; admittitur.

Et tanquam extremum, & postremum remedium ipse laudarem cantharides, cum Theriaca, aut vino sumptas: Magnis enim morbis, magna remedia sunt adhibenda. At de his hactenus.

DE VICTVS RATIONE PRO CALCVLOSIS. Cap. XVII.

INter tria curatricis medicinę partis, genera instrumentorum, id potissimum primum obtinere locum omnes consentiunt Doctores, quod diętheticum appellatur, hoc est, quod victus rationem comprehendit, de qua tametsi magis completum, & absolutum sermonem in parte nostra præseruatiua simus habituri, quędam tamen pauca, & breuissima maximèq; necessaria pro absolutione curatiui operis in præsentia docebimus, animaduertentes prius, quod per diętam non intelligimus simpliciter victus rationem, sed quoque alias res à medicis non naturales dicta, hoc est medias inter naturales & præter naturam, Galeni auctoritate fræti 3. epid. sec. 3. com. 9. dicentis, victum appello

appello non hunc tantum qui cibo & potione constat, sed etiam qui omnibus alijs, vt otio, exercitio, balneo venere, somno, vigilijs,& omnibus quæ quo vis fiunt modo in corporibus humanis;quę omnia ad duo capita in genere veluti,in genere potius rem istam peragimus, reducere breuitatis causa constitui, adiuuantia videlicet, & nocentia, quorum nonnulla agenda indicant, quędam verò fugienda, atq; vitanda.

Iuuabunt sanè plurimum, hoc affectu pręsente, cibi boni succi, & ad mediocritatem nutrientes, Auctor enim libelli de cura lapidis Galeno, adscripti imperat quod parum edatur, & cibi sumantur facultatem habentes aperiendi, subtiliandi, moderatè calefaciendi, & siccandi, iure igitur laudatur panis cui multum furfuris admixtum sit, ac decoctum anethi.

Semen fęniculi, aut coriandrum, caro coturnicis à proprietate laudatur, vti etiam leporis, & alię carnes optimę existimabuntur quæ facilis erunt concoctionis, sed potius assum quam elixum commendatur.

Laudant nonnulli Sapientissimi Viri asparagum, fęniculũ, semina melonum, cetrach,& olera similis qualitatis existentia, potus sit vinum album, & subtile, imò extollitur à Fuchsio vinum absynthites, & acetũ mulsum aqua temperatum; laudatur etiam quam plurimum à quibusdam Medicis nobilibus potus aquę marmoratę ab vrbe distantis circiter duo millia passuum, cum habeat facultatem acidam & erodentem, vt notauit Alexander Petronius in libello de Romanorum victu.

Exer-

Exercitium sit temperatum, vnde laudatur corpore purgato interdiu motus sed vehemans, & precipuè motus carucarum, & lecticarum, commouendo enim renes calculi facilius locum mutare possunt.

Somnus moderatus similiter sit, & quotidiè excrementa per aluum reijciantur studere oportet.

Abstineat à cibis crassis, & difficilis concoctionis, à vinis astringentibus, & generosis, aquisq; crudis; inducunt lapidem amyli, casei, lactis, tritici cocti, carnis porcinę, leguminumq; vsus, & tandem alimenta non sint crassæ substantię, atq; lentum succum gignentia.

Vitet aerem nebulosum, crassum, similiter humidum, post comestionem pęnitus non laborandum, ideò Hippocr. 6. epid. docebat, quod labores cibos pręcedere debent, & hoc tantum tanquam documentum dictum velim, quod his quotidiè cibo impleri insalubre erit satis, & morbosum, referente Francisco Valleriola Celsi auctoritatem circa hoc.

Alia verò ad negocium istud attinentia in altera parte vbi de pręseruatione agetur explicabimus; de curatione lapidis hęc dicta sufficiant: Vnde finem imponentes, Deo benedicto gratias maximas agimus.

FINIS.

Reuerend. P. Magister Fr. Theodorus Ferronus Ordin. Eremitar. S. Augustini videat, & referat an in hoc opere sit aliuid quod fidei Catholicæ, vel bonis moribus repugnet. 6. Septemb. 1665.

Vinc. de Bardis Vic. Gen. Floren.

Vidi supradictum opus, & nihil in eo inueni, quod Sanctæ Fidei dogmatibus, & morum honestati aduersetur, imo pro salute capidibus laborantium dignum arbitror, vt non modo nigro typi atramento, sed candido signetur lapillo. In quorum fidem ego Mag. Fr. Theod. Ferronus Or. Erem. S. Aug. manu propria.

Imprimatur seruatis seruandi 17. Ottob. 1665.

Vinc. de Bardis Vic. Gener. Flor.

Die 17. Octobris 1665.
Dominus Franciscus Redius, videat, & referat.

Fr. Iacobus Tosini Vic. Gener. S. Officij Florentiæ.


Reuerendissime Pater.
Attentè legi hunc libellum, nihilq; in eo inueni Christianę fidei, bonisq; moribus infestum.

Franciscus Redi.

Stante prædicta attestatione imprimatur Florentiæ hac die 20. Nouembris. 1665.

Fr. Io: Paulus Giulianetti à Flor. S. Officij Flor. Canc. de mand. Reuerendiss.

Gio: Federighi Sen. Aud. di S. A. S.


00564803